FRANCISCI MILDAPETTI NA-
VARRENI AD EVERAR-
DVM DIGBEIVM AN-
GLVM ADMONITIO DE
VNICA P. RAMI ME-
THODO REIECTIS
CAETERIS RE-
TINENDA.



¶ LONDINI,
Excudebat Henricus Middletonus,
impensis Thomæ Man.
ANNO 1580.

ILLUSTRISSIMO DOMINO, DOMINO PHILIPPO COMITI ARUNDELLIO FRANCISCUS MILDAPETTUS NAVARRENUS.

S. D.



IALECTICA (Philippe Comes illustrissime) olim florere cœpit, cùm veteres illi Socrates, Plato, Aristoteles, excolendis litterarum disciplinis incumberent. At postquam ex Athenarum finibus evecta per Arabiæ, Italiæ, Germaniæ, Galliæ, civitates peregrinata est, sese ita externis morib' oblinebat, ut amissa penè sanitate vehementer languesceret, & acutè differere prudenterq́; dedisceret. Nam cùm a Peripateticis, hominib' illis quidem excellenti ingenio, sed non satis libero judicio tractaretur, duplicem labem cõtraxit, alteram nempe præceptorum, alterã exercitationis & usus. Siquis præcepta spectet, dolebit id in artem pulcherrimam irrepsisse,

quod ipsius non modo non ornaret, sed turpiter imminueret dignitatem. Quid enim commentitii, quid alieni non in eandem homines in schola semper & umbra differentes conjecerunt? Non intellexerunt ut cæteras artes sic dialecticam e naturæ observatione deductam, ita effingendam esse ut a natura non aberret. Hinc prædicabilia & prædicamenta exorta sunt: quæ erant a Peripateticis celebrata tantopere & decantata, ut qui de eisdem valenter & bonis lateribus clamare didicisset, is non mediocri ornamento putaretur excultus logicæ disciplinæ. Hinc modalium, oppositionum, conversionum argutiæ emerserunt: in quibus non rei obsoletæ & pervagatæ scientia delitescere, sed excellentissimæ sapientiæ splendor elucere credebatur. Hinc reductionum & syllogismi demonstrativi subtilitas emanavit: cui tantum ab argutulis sophistis tributum est, vix ut putetur ab hominibus cogitata, sed ad homines in Lycæo spatiantes transmissa divinitus. Hinc deniq; sese variarum methodorum elegantia profuderunt: a quibus instructi Peripatetici, magnam intra domesticos parietes gloriam consecuti sunt. Atque istæ tot res cum sint natæ in umbraculis otiosorum,

sorum, cùm perpolita artificiis sophistarum, cùm distincta elenchorum ineptiis & exornata, qui non arti dialecticæ gravissimam labem aspergere potuerunt? Inuexere etiam in usu dialecticæ labem non minorem. Vis illa humanæ rationis nullam habet definitam regionem, cujus terminis septa teneatur: Sed ad omnia, quæ intelligi explicarive possunt, quasi rivis diducta est. At hæc artificiosa ratio, quam dialecticam usurpamus, etsi sit velut imago aliqua in quam nativæ rationis facultates universæ transferendæ sunt, tamen est non in communem vitæ consuetudinem educta, non adhibita ad res singulas explicandas, non ad omnes conventus dimissa, sed philosophorū libellis cōclusa, & ad scholastici problematis altercatiūculam relegata. Quare anilis illa in Lycæo & otiosa ambulatio fecit, ut dialectica quasi pulsa sedibus suis & ejecta patrimonio avitæ dignitatis in scholarum latebris delitesceret. Quod cū vidisset P. Ramus pro eo quo fuit ingenio propè singulari, suscepit ille dialecticæ expoliēdæ laborē: laborē hercle gravissimæ contentionis & invidiæ. Inquisivit in prædicabilia, eáque adulterinis depicta coloribus deprehendit. Prædicamentis litem intendit,

dit, quod non precariò sese in aliorum finibus collocassent, sed summa vi in eosdem irrupissent. Quid modalium, oppositionum, conversionum deliciæ an placuerunt? equidem diutius ferre non potuit. Quis enim spinosis sophismatis in modalium doctrina modus? quid non in quibusdam oppositionibus opponitur veritati? quæ non in cõversionibus perversio disciplinæ? porro demõstrativi syllogismi delirium excussit & profligavit. pro vnica methodo adversus Galenum & interpretes Aristoteleos acerrimè dimicavit, eamq; sophismatũ multitudine oppressam vindicavit. Sic deniq; totã artem prudenter conformavit, vt si quis illius vllum mẽbrum divulsum & discerptũ esse velit, is artificiosè instructam pulcherrimæ disciplinæ fabricam turpissimè dissolverit. Quin etiam, quod maximum est, vsum logici artificij amplificavit luculenter & illustravit. Dialecticam enim avocatã à schola in clarissimam lucem collocavit: produxit in forum & rostra ad sapienter de litibus perorãdũ: evexit in judicum subsellia ut legis mentem interpretetur, & rationem ferendæ sententiæ administret: dimisit in Curiam, ut tanquam magistra prudentiæ consilijs præsideat: transtulit etiam in campũ & aciem,

ut

ut omnes militiæ obeundæ vias pervestiget & exponat: denique eandem ad singulos vitæ usus commodissimè dispertivit. Quid? an est ista P. Rami in perpurgandis dialecticis improbata industria? certè quæ coli ab universis propter summam utilitatem & celebrari propter accuratissimam rationem præcepti debebant, ea a nonnullis repudiata cum fastidio, & asperius reprehensa sunt. Prodiit non ita pridem Everardi Digbei adversus unicā P. Rami methodū dialogus: equidē, ut multi opinantur, magis audacter emissus, quàm eruditè contextus: ut ego existimo, non ita magno judicio institutus. Attulit enim ad eandē pervellendā nō vim acutissimæ rationis, sed cōmentū ingenii sui, illudque per omnes dialogi partes ita fusū sine artificio, ut quidvis potius agere quā de methodo disserere videatur. Non alienū igitur fore putavi, si dialogi istius artificium retexerem, & Digbeū de unica methodo retinēda liberè, sed tamen modestè admonerem. Quod quidem feci nulla ostentatione ductus, aut in suscipiendo ingenii, aut in perficiendo laboris & industriæ. Ecce vero de quibus sum ad Rameæ disciplinæ defensionem privatim cōmentatus, ea inscripta nomini tuo (nobilissime Comes) in lucem divulgavi

vulgavi. Nã quæ duæ res generis amplitudinẽ vehementer ornant, eæ in te elucent ambæ, literarũ nempe cognitio & studium juvandi litteratos. Illa te, quamvis adhuc in flore ætatis versêre, tamen cùm ad disciplinam prudentiæ, consilii, humanitatis erudivit, tum etiam ab ornamento instruxit religionis & pietatis. Hoc eam tibi gloriam peperit, ut amplitudinis tuæ memoria non modò ab Anglis celebretur, sed etiã a transmarinis hominib? sũma charitate usurpetur: quid quod methodi disciplina, digna res sit, quam homines generis dignitate præstantes perpetuò cõsectentur & adhibeant? Nam ut rem propositam animo celerrimè & intelligentia complectamur, ut eandem memoriæ sũma facilitate tradamus, ut dicta omnia & cõmentationes elegantissimi ordinis cõcinnitate illustremus: id certè quantumcunq; est (est sine dubio egregiũ quiddam & singulare) totũ methodo debemus. Quàm verè ista methodo attribuerim, quàm nihil illius laudi affingam, non ignorat Dominus Henricus Howardus patruus tuus, qui stirpis suæ nobilitatẽ gloria multiplicis doctrinæ & literarũ cumulavit. Quapropter cùm in studiũ incitere cognitionis & scientiæ, cùm disciplinarũ studiosis pro

pro tua incredibili humanitate consulas, cùm deniq; methodi præceptio non sit ab hominum nobilissimorum institutis aliena, mitto ad te (Comes præstantissime) meam de unica P. Rami methodo retinenda admonitionem: quæ etsi preter rem ipsam nihil complexa est cujus nomine commendetur, tamen profectam esse intelliges ab animo Honoris tui longè observantissimo.

 ANTONIUS SENOVELLANUS

NAVARRENUS MILDAPETTO SUO. S. P. D.


IBELLUM tuum, Mildapette, missum a te mihi, legi diligenter, & servo diligentissime: Elegantissimum sanè omnium, nisi me propter benevolentiam fortè fallit, quos in eo genere vnquam viderim. Ita nitent omnes ejus partes, ita splendescunt, vt dubitem utrum magis res verbis, an verba sententiis exornentur. Neque tamen, hæc cùm scribebam eram nescius, cum, quam logicæ Venustatem scientię e politissimis Rami scriptis delibaras, eam ad Rami scholam a Sciolorum quorundam calumnia vindicandam transferres, fore ut ex eo multi varias ad reprehendendum, velut ansas arriperent. Nam quibusdam, & iis quidem non leviter eruditis, non admodum video placere Ramum. Quidā autem probant illum quidē, sed cum exceptione, si privatim adhibeatur: in publica verò scholarum luce collocari, molestè ferunt. Erunt etiā, & hii neque meo judicio stulti, & suo valde sapientes, qui eloquentiam separent a Philosophia, & neglecto flore orationis, spinas tantùm scientię consectentur. Et quidem operæpretium est, quid primi illi Rami vituperatores dicant, attendere. Quærunt primùm, quid esset, cur Veromanduus iste Agricolæ filius cornicum, vt dicitur oculos configeret, Aristotelem corrigeret, & eo rejecto novam nobis & suam quandam scholam explicaret. Quos id ego vicissim inter-

interrogo, Si perperam fecerit, cur non refellant? sin rectè, cur non admittant? Nam Ramum Aristotelis correctorem esse dicere, Ramum Agricolę filium appellare, Ramo crimen novitatis intendere, & sine causa divinum hominem tam insulso convitio, tam petulanti ironia, tam inerudita contumelia verberare, hominum est, (ut percissimè loquar) nimis jejuna malevolentia laborātiū. Sed intelligo quid pungat illos. Aristotelē delicias suas, contemni dolent. Audio. Sed quę, malùm, hęc injuria est, antiquis illis temporibus suū honorem concedere, nostris denegare? Quid? An supersedisse Deum creandis pręclaris ingeniis arbitrantur? Si nolle dicunt, malevolum Deum fingunt. Si posse negant, imbecillem. Quorum vtrunque à divina natura est alienissimum. At posterior dies prioris discipulus. Immo magister. Ita semper primis inventis addit aliquid, & tanquam affingit dies. At minus fortasse diligentes sumus. Credo. Gravis enim res est labor, quem plerique fugimus. Quam autem ego pelvim Aristotelis, cum huius agricolę filii triginta annorum Vigiliis compararem? In quibus ille dialecticę non modò faciem, sed omnia membra ita scitè formavit, ita articulatim distinxit, ita venustè concinnavit, ut mihi quidem vel nemo, quod magis credo, vel Ramus summam manum huic operi, & extrema velut lineamenta attulisse videatur. Sed vt in vinis, ita & in disciplinis vetustiora probant. Quasi verò non ipsa vina vetustate coacescant: Itaque vinum proximis consulibus conditum nolo: Brutinam verò

aut posthumianam notam multo minus. Sic hercle existimo nec de quovis musto ac lacu feruidam disciplinam esse sumendam: & illam nimis veterem vel potius vietam non plus, quam Brutinam notam persequendam. Iam illos miror, qui Ramum solum privatim adhiberi volunt: vt propéodum iustioribus vtamur illis, qui omnino auocent a Ramo, quàm hiis, velut mystarum sacris, ita studiis hisce noctem imperent, in req; eo meliore quo notior est, silentium desiderent. Quod qua ratione faciant, dispicere non possum. Nam cur nō honestum sit, id alium docere, quod mihi fuerit honestissimum discere? aut cur quod sit gloriosum scire, non sit gloriossimum profiteri? Nisi fortè ut aliam habes domesticam vestem, aliam forensem, ita aliam tenes sententiam domi, aliam foris: aliam in musæo, aliam in schola: aliam tecum, aliam cum altero, quod est indicium profectò non solùm inconstantiæ, verumetiam vanitatis. Iam tertijs illis quid faciam? homines sunt lautioris stomachi quàm cæteri. Eloquentiā in Philosopho non ferunt. Quid tum ferent? Necessariam esse negant. Quasi verò non aliqua sit habenda ratio venustatis. Quam cum ijdem ipsi in cultu corporis, in hortis, in cibis, in ędificijs, in omnibus denique rebus affectent: non intelligo sanè cur sui ipsorum dissimiles, a séque ipsis desciscentes spinosuta quædā in oratione & horridiuscula consectentur. Quæ quidem opinio tot greges excitauit Dorbellistarum & Dunsicorum agreste quiddam sonantes & rusticanum; messorum similiores, quàm magistrorum: non tam a

rostris

rostris profectos quàm a rastris, ab aratoribus potius institutos quàm ab oratoribus. Qui certè meo quidem judicio fecissent aliquanto rectius, si minus argutiarum & subtilitatum, plus autem adhibuissent nitoris & eloquentiæ. Vt enim Olympionem non probo, nisi ad bonam valetudinem quandã etiam affuderit suavitatẽ coloris: ita & Academicum non fero, nisi sanitati philosophiæ florem quendam orationis, & quasi colorem aspersèrit. At Philosophiam dices, quasi matronã: nihil decet iste fucus. Credo. Sed nec istæ sordes decent. Et tamen suus est quidam matronis decor. Aliter enim Romani veteres nunquã legem Oppiam antiquassent. Et vt matrona in vitio sit, si quotide radatur ad speculum & vnguentis delibuta artificiosè collocatis cincinnorum fimbriis delectetur: quod tamen etiam virum factitasse & magnum virum Africanum accepimus: ita si Patroclem imitetur; quem cavillans Aristophanes nunquam in vita lauisse dicit, nunquam faciem, nunquam manus abluisse, nunquam sordes detersisse: Quis eum ferret? quis non iuberet auferri? Quare quemadmodum matronæ, & illa in cultu nimis elaborata cõcinnitas, & ista nimis incivilis rusticitas fugienda est, ut liberalem quãdam elegantiã adhibeat: ita Philosopho, cûm ille in aucupanda paritate verborum, & in quadrandis periodis forensis & nimis accuratus nitor, tũ illuvies ista, & quasi situs vitandus est, ut semper ingenuitatem quandam orationis, & quasi munditiẽ persequatur. Affers, inquies, molestiã nobis. Immo tu aufers gloriam. Quid enim potest esse, vel

reipsa

reipsa pulchrius, vel fructu lætius, vel beneficio gratius, quàm quod ipse rectè, quod accuratè, quod utiliter senseris, id alteri non aridè, non jejunè, non exiliter, sed ornatè, sed splendidè, sed copiosè explicare? Difficultatem excusas: etiámne in rebus optimis delicias quæris? isto modo virtutem ipsam rejicere possumus. quid enim illa difficilius? ita locos omnes, in quibus excellentia est, maximis difficultatibus obstruxit, ac circumsepsit Deus. Negas ista studia conjungi posse. Stulte, qui alios spectes ex te. Balbutivit credo, Plato: nunquam videlicet gustarat præclarã istam eloquentiam: verba homo sapiens negligebat: erat elinguis Stagirites ille: neque sermo ille Ciceronis verus est, quum eum flumẽ aureum appellet. O rudem Xenophontem: cujus ore musas ipsas loquutas ferunt. Decepit nos Theophrastus. Non erat tantum in homine, quantum in nomine dignitatis. O infantem Carneadem, de quo illud elogium est, nullam eum rem confirmandam suscepisse, quam non probaverit: nullam oppungandam, quam non everterit. Possem multa isto modo: Sed mihi non tam copia, quàm modus in probando quærendus est. Quæ tandiu non disputo, quin si alterutrum eligendum sit, multo malim indisertam sapientiam, quàm insipientem eloquentiam: sed id volui ostendere, hos esse perridiculos, qui cùm ubertatem & copiam possint, jejunitatem potius & famem consectentur.

FRANCISCI MILDAPETTI NAVARRENI DE VNICA METHODO RETINENDA.

CAP. I.



INgenii tui commentationes (Digbeie) quę typis non ita pridem divulgatæ in hominum manus pervenerunt, faciunt vt non modò de Cantabrigiensi Academia sperem optimè, sed etiam Angliæ gratuler vniversę. Habuit Anglia plurimos semper excellenti ingenio, eosq; sic e Philosophorū Schola perpolitos, vt maximarum artium penè infinitam vim animo & cognitione comprehenderent. At verò qui cogitationes suas ad illustrandam philosophiæ disciplinam referrent, etsi eorum plerique ad ornamēta multiplicium doctrinarum gloriam adjecerunt ornatissimę dictionis, tamen vel omnino nulli, vel certè paucissimi extiterunt. Etenim illos nescio quæ religio tenuit,

nuit, quo minus quod prudenter ſentiebant, id polite expreſſum & eleganter, literarum monimentis cõmendarent. Verebantur fortaſſe ne ſi texendis voluminibus operam tranſmitterent, id ad oſtentationem ingenii arroganter, non ad aliorum vtilitatem ſapienter facere putarentur. Ac proinde eorum induſtria, cùm ad ſummam laudem in vulgus emanare potuiſſet, ſeſe ab hominum oculis continuit intus & delituit: tanquam hercle ipſos umbræ quàm ſoli, & ſcholæ quàm foro aptiores natura genuiſſet. Theologia verò debet illa quidem Anglis hominibus non parum, quod eandem & perennibus concionibus ad amplificandam Chriſti gloriam diligentiſſimè excoluerint, & partim labe aſperſam mirificæ vanitatis, partim acucullatis homunculis nefariè proculcatam ad priſtinum nitorem & majeſtatem elegantiſſimis ſcriptis vindicarint. In quo certè eſt cum theologia actum præclariſſimè, cum cæteris artibus incommodiùs: quòd cùm Anglorum ingenia limarint vehementer & expoliverint, ipſæ tamen ab Anglis nullam ferè lucem, nullum ornatum

natum acceperint. Quapropter (Digbeie) dum te intueor, dum tuam excellentem diligentiam attendo, dum eandem cum aliorum in isto genere tarditate comparo, gratulor mehercule literarum disciplinis, & gratulor vicissim Angliæ tuę. Nā si laus illa exornādæ Latinis literis Philosophiæ nata e vestrorum hominum Vigilijs floruit aliquando: tu profectò, cùm defloruerit jam & consenuerit, eidem succurrere & velut ab interitu nescio qua divinitate ingenii tueri aggrederis: Sin verò Anglorum lucubrationes nihil antehac ad Philosophiam splendoris, nihil ornamenti attulerunt, sed ea ferè sola uti consueverunt, quam a Gallis, Germanis, Italis acceperunt, quemnam te esse dicam Digbeie, qui gloriam istam poliendę in artibus disciplinæ Cantabrigiam transferre, & languescenti jam Galliæ eripere conaris? Nę tu præclarum aliquod & divinum meditaris. Si enim cui exculta mens est ab ornamentis sapientię, & a subsidijs instructa omnium doctrinarum, ei nihil deesse posset aut ad vtilitatem insigne, aut illustre ad dignitatem: quis ita affecti in-

genij est? ita alienus ab humanitate & literis? ita publicæ vtilitati inimicus? qui non illi, a cujus ingenio expolitionem & velut palęstram quandam literę asciverũt, plurimum esse tribuendum arbitretur. Verumenimvero ut iis merces proposita est amplissimę glorię, qui concinnè id ipsum & perscienter pręstant: sic qui ad tractandas disciplinas non florem ingenii, nõ lucem exquisitissimę veritatis, non accuratissimi pondus judicii, non deniq; ordinis elegantiam afferunt, ii collectis testibus inscitię suę labem contrahunt non mediocris ignominiæ. Quid enim? qui architectum cõstringendum putamus, si nihil venustatis & artificii in fabricam trãsfuderit, sed eandem vasta planè agrestiq; partium compositione dedolarit: an operarium in percolendis disciplinis bajulumque feremus? Si pictori crimen delirii intendimus, a quo non est illa, quam par erat, floridiusculis coloribus ad dignitatem expressa effigies, sed in eandem summa deformitas implicata penecillo & impressa: an possumus eum sapientem usurpare, qui ad artem pulcherrimæ rei potiùs

sordes

ſordes conquiſierit, quàm ornatum ſapientiæ accerſiverit? Equidem qui devulgatis libellis vanitatem jejuni ſophiſmatis quaſi in oculis defigit univerſi orbis, eum ego ſtatuo non modò ipſum ſibi arrogantiæ ac ſtultitiæ notam inurere, ſed etiam injuriam litteratæ juventuti graviſſimam inferre. Studet enim eandem ab uſu excellentiſſimæ præceptionis ad nugatoriæ argutiolæ theoriam, a copia & ubertate Academiæ ad aridã in Lycæo & exilẽ acroaſin, a Platone deniq; ad Dorbellam avocare. Quid? an iſta in te convenire dicam Everarde? non audeo hercle de tam ſuavi homine. At ſi iſta magiſtris illis attribuerim, a quibus es ad logicæ prudentiæ diſciplinam inſtitutus, non verebor ne convitium potius in illorum nomen petulanter effudiſſe, quàm verum crimen meritò contuliſſe videar. Peregrinanti mihi anno ſuperiore in Pariſienſi Academia incidit in manus jam tum emiſſa in lucem Analytica theoria. Qualis tandem? ſpecie illuſtris illa quidem & magnifica. Nõ enim plebeium aliquid & vulgare jactat, ſed diadema pollicetur & mo-

narchiam. Quem non ſplendor tam divinæ inſcriptionis commoveret? quem non ad perſequendam Analyticæ theoriæ ſapientiam alliceret? Næ ego, dum illam intuebar, divinitatem Platonis, acumen Ariſtotelis, ſubtilitatem Zenonis cõtemnebam. At verò ſiquis ab illa tam excellenti inſcriptionis ſpecie cogitationem parumper avertat, & cûm res ipſas ad tractãdum propoſitas, tùm etiam tractationis elegantiam attendat: quid, an exclamabit vt ille? ὦ πάντες καὶ πᾶσαι. ut ille? ô cœlum, ô terra. ut ille? ô tempora, ô mores. exclamabit ſine dubio, & in theorico illo artifice poſtquã eſt audaciam aliquandiu demiratus, cæcitatem judicii vehementer deplorabit. Nam mehercule illud orationis genus cõſectatur, ut non e rhetorum officina prodiiſſe, ſed e ſchola Aquinatis emerſiſſe, & quæ barbaries exploſa jamdiu ac profligata evanuit, de eadem revocanda cogitaſſe videatur. Eas verò rerum ſubtilitates complexus eſt, earum ut multas propter reconditam ſcientiam potius admirari poſſimus, quàm quales ſint intelligendo conſequi. Profectò dum hujus analyticæ

monar-

monarchiæ opificium contexebat, cepit eum theoria mirifica illa quidem & planè ſingularis. Quæ enim non conquiſitę argutiarum deliciæ?quæ non ſomniata concinnitas? depictæ ad oculum demonſtrationum imagines: expreſſæ lineamentis ad illuſtrandam apprehenſionem figuræ: adornatæ etiam Pyramides & horizontes. Quid commemorem illas inſignes theſes? de extrinſeca perfectione principii: de intellectu ad ſimplicitatem contendente: de ſtatu interni luminis:de cõmunione animæ cum objecto metaphyſico. Quid loquar de ſupremæ diſtinctionis primo effluxu? quid de mundo ſupraſupremo? Mitto portas,per quas aſcendimus ad intelligentiam. Dæmonas illos Serapim, Samael, & Mahazael libenter prętereo.At verò bene ſit philoſophorum filio:cui,ſi iſtas elegantias procuderit;meliorẽ mentẽ opto: ſi nunq̃ attigerit,de fælicitate gratulor. Taceo de diſcurſu nec emittente nec retinente, ſed deferente ſcientiæ:de productione mundi ſenſibilis,& complexa notione demonſtrativi principii nihil diſſero.Nónne iſta egregia? nónne

ne mirabilia? nónne divina sunt? Compilavit certè filius iste philosophorum omnem a primis postremisque philosophis sapientiam: & quicquid ubique erat mysterii, id in analyticam theoriã solertissimè illigavit. Probavit sine dubio industriã suã hominibus a disciplina Scoti & Toleti nõ leviter eruditis: & vehementiùs equidem probavisset, si non modò sophismatum acervos corrogare, sed Ramum refellere voluisset. Debes (Everarde) plurimum Sorbonistis, qui theoriæ tuæ nonnullorũ contumeliis afflictæ vehementer & perculsæ frequenter subvenerunt, eamque a gravissimis hominibus acerrimè reprehensam summa laude exceperunt. Quid verò de tuæ mysteriis theoriæ non ita pridem Basileæ inaudierim, si id palàm referrem, remitteres credo aliquid de illa magnifica opinione quam tibi analytica monarchia attulit, nisi tuum ingenium doctissimorũ præclarissimis judiciis anteferres. Sed ecce quod aliis magnopere displicebat, id tibi video vehementer placuisse. Ac proinde tanquam analysis illa ad scientiarum monarchiam Digbeiana fuisset apud omnes

Acade-

Academias propter excellentem utilitatem corollas & lauream consecuta, secundo jam edito libello quasi in scenam denuò prodiisti. Miri profectò cerebri es Digbeie. Nā perinde ac si a Parnasso nuper descendisses, essesque cum ipsis Musis sæpiusculè collocutus, ita facilè & expeditè volumen conficis. Cum paucis abhinc diebus Basilęa in Angliam trajecissem, & ad procuranda quibus distinebar negotia in urbe Londinensi consedissem, proripuit sese e typographi officina dialogus tuus, contra unicam P. Rami methodum valde subtiliter concinnatus. Memini tum illius tuæ tam delicatæ theoriæ: cujus recordatione cùm ipse me suaviter aliquandiu oblectavissem, facilè adducebar ut quibus ornamentis Monarchiam tuam distinxisses, eadem te putarem transtulisse in dialogum. Nec me sanè multum fefellit opinio. Nā Digbeiū ita mihi scitè in eo ac luculēter expressisse videris, nullā ut analyticā theoriam ad effigiē Digbeiani ingenii referendam desiderē. Siquidē cùm nō desit ad apparatū dialogi aut theorica eloquētia, aut theorica subtilitas, aut
 theorica

theorica optimarum rerum ſapientia, quis eſt cui novas theorias Digbeianæ Vigiliæ non videbuntur excudiſſe? Ferri tamen eclogariæ iſtę theoriæ potuiſſent pręſertim cùm ſint non ita multarũ pagellarum terminis circumſcriptę, niſi audacter nimis irruere in unicam methodum voluiſſent P. Rami. Neſcis Everarde, neſcis quàm difficile & arduum negotium ſuſceperis. Tune macilentus rhetorculus cum oratore diſertiſſimo, clamoſus Dorbelliſta cum excellentiſſimo logicæ diſciplinæ magiſtro, homo in ſchola & umbra deliteſcens cum philoſopho in clariſſima luce diu multúmq; verſato, Everardus Digbeius cum P. Ramo congredi auſus es? Túne eum laceſſendum cenſes, cujus immortalitate dignum ingenium, cujus incredibilem virtutem, cujus divinam in reſtaurandis ornandíſq; diſciplinis induſtriam omnis poſteritas & gratiſſima memoria uſurpabit, & illuſtri prædicatione celebrabit? Túne cum eo ad pugnã deſcendes, quem non Adriani Turnebi limata ſubtilitas, non Joachimi Perionii in dicendo facultas, nõ æſtus Jacobi Carpentarii, non acumen

Gal-

Gallandii, non metaphysica Schecii ſapientia frangere potuit & obruere? Sed quid pene eſt quod nō audeat is, qui ad ſophiſmata Tartareti, ad commenta Javelli, ad nugas Clictovii velut ad ſcopulos aliquos ingenium ſuum paſſus eſt adhæreſcere? Quid ſi te iſtis inſiſtentē veſtigiis, & ſomniantem theorias diutius feramus, procudetur fortaſſe propediem tertia theoria. Quapropter quia & P. Ramo plurimum debeo, & methodi diſceptatio neſcio quid ſecum præclari affert, te de unica methodo retinēda analyſi ſubducta dialogi tui paucis admonere viſum eſt: non quòd admonitionem adoleſcentis apud hominem (ut audio) maturæ ætatis, aut Navarreni apud Anglum ponderis aliquid habituram eſſe exiſtimem, ſed quòd præcipiti in divulgandis ſophiſmatis temeritati ne ſilentio quidem ſuffragandum eſſe putem.

CAP. II.

DIALOGVS tuus duabus fere rebus vertitur: quarum altera methodi præceptionem cōplectitur, altera

verò praxin. In persequenda methodi disciplina id agis, ut eandem bipartitam esse demonstres, & P. Rami pervellas unicam. Multa passim tua in disceptatione occurrunt, quæ propter ridiculam subtilitatem non ponderanda accuratè, sed aut planè omittenda aut levissimè decurrenda sunt. Age igitur, demonstratio bipartitæ methodi ad unicam refellendam quàm est a te enucleatè & elegãter informata? Equidem multa dialogi tui minutula capita, in quibus nugatoria futilium quęstionum exornatio instituitur, methodorum quandam varietatem quasi parturiunt: reliqua, etsi erant fortasse Musæ invocatæ, nondũ tamen duplicem methodum videntur peperisse. Non potuit sine dubio methodorũ aut numerus expediri, aut illustrari natura, nisi rerum variarũ prolusio accessisset. Quæ igitur illa sunt & quàm egregia, quibus proluditur? Agitur de iis, quæ unicuique antè sunt cognoscenda, quàm ad naturam methodi percipiendam accedit. Qualia tandem & quot? tria hercle pereximia.

Qui ad methodum(inquis)*discendam accedit, is debet praenoscere, primò esse rationē, quae est Dignitas. Secundò esse rationem a principio ad finem artificiose procedentem, quae est propria methodi passio. Tertiò rationem artificiose procedentem, esse methodum: quod est subiectum.*

QVAM tu nobis rerum ante methodum cognoscendarum partionem effingis Everarde? Ratio artificiosè procedens est tibi propria methodi affectio: atq; eadem ratio artificio quodā procedens, est & ipsa methodus & subiectum methodi. An tu in Cantabrigiensi celeberrima Academia educatus es, ubi cùm in provectioribus Academicis pleraeq; disciplinae sunt maturitatem consecutę, tum florem esse praedicant literatissimae juventutis, & tamen audes tam singulare partitionis delirium in vulgus obtrudere? Suscipe quęso vel ad punctū temporis cogitationē hominis liberi & acuti. potéstne facultas ridēdi esse & propria hominis affectio, & tamen eadem facultas esse homo & subjectū hominis? opinor refragabere. potéstne igitur ratio illa, quae arte quadam progreditur,

inte-

integram methodi eſſentiam complecti, & tamen ſic in methodum cadere, illius ut ſit non ſolùm propria affectio, ſed etiam ſubjectum ? Aliud eſt res ipſa ſuis e cauſis conſtituta; aliud adjuncta rei affectio : aliud ſubiectum. Horum natura ita diſpar eſt & ſejuncta, ut confuſa invicem & temperata eſſe nequeant. Amandanda itaque partitio iſta, aut ſaltem politius elimāda : immo verò & intelligentia animi tui diſertiùs explicanda. Nam ubi & quæ eſt illa dignitas quam requiris? qualem deinde artificioſam progreſſionē intelligis ? Scio axioma clariſſimæ veritatis a quibuſdam nomine dignitatis appellari. Utrum συνεκδοχικῶς inventionis, enuntiati, ſyllogiſmi prçcepta dignitatis appellatione comprehendis? Cui hercle inventionis univerſa ratio animo decurſa uſuque pertrectata eſt, qui non eſt in enuntiati diſciplina peregrinus, qui denique inſtructus eſt ab artificiis ſyllogiſmi, nō video quid in eo aliud ad cognoſcendam methodi naturam deſideres. Satis is mihi amplo apparatu ad methodū perdiſcendam accedit. Sin verò non ea quç expoſui, ſed quiddam aliud dignitatis nomine

nomine interpretaris, næ tu ædilitatem aliquam meditaris, qui non vernaculis rebus & domesticis contentus es, sed longè arcessitis & aliunde comportatis uti vis. Ad laudem profectò tuam parum interest, quid dignitatis voce complectare. Nã si Dignitas ista artem inventionis & judicii notet, quid dici potuit inconcinnius? sin alia quædam designet, nimis remota & aliena consectaris. Utcunq; sit, nimio acumine & brevitate obscuritatis elenchum peperisti. Porro de illa artificiosa progressione quid dicemus? si methodus sit, ut tu affirmas, cur quæ eadem omnino sunt, eorum naturam tam confidenter distrahis? vis artificiosa progressione essentiam methodi contineri: & tamen vis artificiosæ ꝓgressionis cognitionem aliunde ad methodum intelligendam afferri. Si etiam ratio ex arte procedendi fuerit methodi affectio vel subjectum, etsi sit illa quidem ad methodi intelligentiam multum allatura, eam tamen extrinsecus repetere necesse non est, cùm possit methodi præceptione subtiliter comprehendi.

CAP.

CAP. III.

VIDES jam Digbeie in rerum earum partitione, quæ tibi ad methodi vim consequendam videntur aptissimæ, quantopere erret illa ingenii tui & peregrinetur theoria. Quid? an lautius aliquid deinceps & exquisitius affertur? Differis nihil absq; methodo sciri posse. at quid ita tandem? Rerum certè cognitio vel dispositione enuntiati statim elucet, vel e syllogismi dianoia effloreſcit. At verò collocatione methodica non rerum notitia exquiritur, sed ordinis illius, quo res notæ jam ac judicatæ constringuntur, illustratur elegantia. Definitio rei naturam e causis & e cæteris aliquando argumentis tam dilucidè interpretatur, ut etiamsi res definita nullo ordine digeratur, tamen clarissimæ existat scientię & judicii. Si Epicurum sciscitantē quid esset voluptas, aut Stoicum de natura virtutis percontantem juberes rerum ordine disponendarum methodū ad notionem voluptatis & virtutis enodatiùs explicandam adhibere, certè ille te

ex

ex hortulis ſuis abigẽdum, hic e ſtoa præcipitandum eſſe clamaret. Sed eſt fortaſſe, quo paradoxon iſtud tueri queas. Quin igitur nos imperitos edoces? poſtquam quid ſit ſcire expoſueris, quod hercle eſt abs te ſine methodi ſubſidio explicatum, continuò propoſitam theſin eleganti ſyllogiſmo diſceptas:

In quibus (inquis) *eſt diſpoſitio prioris ad poſterius, in iis erit ordinis obſervatio.*
At in omni inquiſitione proceditur a priore ad poſterius.
Ergo ſecundum materiæ ſubjectæ diſpoſitionem impoſſibile eſt, quicquam ſcire ſine methodo.

UBI Everarde acumen tuum? ubi mẽtis analytica theoria? Conſule de ſyllogiſmo iſto vel e Cantabrigienſi Academia in dialecticis tyrunculum aliquem, vel ex agro Melibæum, vel e campo & acie militem: horum ſanè nemo eſt, qui a te non majorem in diſſerẽdo requiret ſapientiam. Certè Academicus ille, qui nudiuſquartus ad excipienda theoremata acceſſit

accessit logicæ disciplinę, Digbeium quasi dormitantem vellicabit, admonebitque aut antecedentem syllogismi istuc inani consilio aliunde obrepsisse, aut si id secus fuerit, complexionem ex antecedente instar portenti emersisse. Aliud enim est in propositione & assumptione propositum: in complexione verò inculcatum aliud. Sic cùm monarchiam polliceris, præstas anarchiam. Sed remittimus tibi ista leviuscula, homini præsertim nihil nisi altum & magnificum cogitanti, adeo ut gloriæ tuæ melius fortasse consultum putes, si ista potius contemnere quàm scire videare. Verùm quomodo tãdem institutam quæstionem conficis? Video conclusam enthymemate: cujus propositio artificio Digbei veluti ablegata si revocetur, continuo Digbeiani judicii accuratio elucebit: est verò ejusmodi:

Methodus est causa.
Nihil sciri potest sine causa.
Nihil itaque sciri potest sine methodo.

Qualis est illa syllogismi tui propositio?

tio? quàm ſcita & delicata? vin' tu methodum ita natura comparatam eſſe, rerum ut omnium cauſa ſit? Næ illam methodum beatam videri neceſſe eſt, quæ per res univerſas fuſa latiſſimè ſeſe ad conſtituendam ſingularum naturam diſpertiverit. Quòd ſi rei cujuſlibet cauſas methodo contineri non placet, nihil argumento iſto ad diſceptandam quæſtionem aſſequeris. Sin verò idipſum contendis, vide ne cujus beneficio hanc lucem aſpexiſti, illa hominem dicatur ex methodis contextum peperiſſe. Sed ecce: video quid egeris. Animadvertiſti ſcilicet perſimili vel eodem potius ſyllogiſmi judicio concludi poſſe, omnem ex Everardi cognitione ſcientiam manare:

Everardus eſt cauſa.
Nihil ſciri poteſt ſine cauſa.
Nihil itaq; ſciri poteſt ſine Everardo.

AGNOSCO hercle philoſophorum filium. Is ſine dubio eſt, in quo ut omnis ab eo ſcientia tanquam a fonte derivetur, idcirco a natura innexæ rerum ſingula-

rum causæ & implicatæ sunt. Quanquam illud per mihi mirum videtur, quòd cùm tanta causarum & tam ampla supellectile instructus sit, non tamen intelligendi vim satis subtili definitione comprehenderit.

Intelligere (inquit) *est rationem primam a secunda, secundam a tertia, tertiam a quarta in simplici apprehensione discernere: incomplexa ad conclusionem necessariam connectere.*

EXPECTABAM hercle dum diceres intelligendi facultate etiam centesimam rationem a quingentesima, quingentesimam a millesima, millesimam a causarum myriade discerni. Non est (Everarde) non est humanæ intelligentiæ facultas ita angustis definita regionibus, ut ad distinctionē rationis a ratione & ad syllogismi tribunall alligata non possit latiùs excurrere. Commentum hercle Themistii est, arreptum e cogitationis delirio, non e disserendi usu prudenter observatum.

CAP. IIII.

GLORIARE jam ſi placet & quaquaverſus prędicato, nihil eſſe quod intelligi ſine methodo percipíque poſſit. Quinetiam methodi cognoſcendæ difficultatem quantum potes exorna, at non pigmentis, non inani ſplendore, non fucatis coloribus. Methodum (inquis) ſcire res eſt difficilima. Immò verò ſiquis præceptionum illarum ſubtilitatem animo complexus fuerit quę viam quandam deſcribunt inveniendi argumenti, ſiquis enuntiati vim omnem rationemque percalluerit, ſiquis ſyllogiſmi excellentiſſimas leges cognorit & perguſtarit, ei videbitur methodi intelligentia illuſtris adeò faciliſque, ut nihil in ea reconditum & abſtruſum eſſe dixerit. Tu verò quibus tandem iſtam difficultatis theſin argumentis demonſtras?

Quæ ratio (inquis) *omnia ad ſcientiam redigit & in ſingulos gradus a principio ad finem animadvertit, ea diſcenti eſt difficilima.*

At methodus omnia ad ſcientiam redigit & in ſingulos &c.

Methodus igitur diſcenti eſt difficillima.

SATIS profectò acutè, ſed non ita magno judicio iſta diſſeruntur. Quid enim cauſæ eſt, cur tibi de propoſitione aſſentiremur? Nam in quarum rerũ praxin moleſtiarum aſperitas variæque difficultates effuſæ redundarunt, earum non ita ſemper retruſa cognitio & impedita fuit. Galliæ peragratio quantę contentionis eſt? quanti ſudoris & moleſtię? & quid tamen facilius quàm univerſæ Galliæ peragrandę viam noſſe? ſi modò oculis obverſetur totius regionis luculenta idea, ſi delineata in tabulis ratio itineris, ſi deſcripti Mœandri, ſi notata diverticula. Sic methodum a ſchola & umbratili theoria ad commentationum quaſi palæſtram & curricula deducere, eamq; vel ad leviora ac ſolutiora inventa dimittere, vel ad lucem artibus ſplendidiſſimi ordinis dignitate afferendã trãſferre, profectò hoc opus, hic labor eſt: hîc (Digbeie) Socraticos amores perlibenter agnoſco. Veruntamen ut illam divinam

vnam vim methodi exploratam animo & ſcientia comprehenſam habeas, ineſt in eo non illa difficultatis incredibilis magnitudo, ſed facilitas certè haud mediocris.

CAP. V.

AT quouſq; tandem iſta futilium queſtionum altercatio producetur? quando ſuſceptam pro duplici methodo controverſiam inſequêre? Ecce nugis adhuc ad methodi ornatum aggregandis ſummo ſtudio inſiſtis. Philoſopharis more tuo de methodi oppoſitis terminis: de diſcente & docente rhetoricaris pueriliter: de duplice diſciplina plumbeam acroaſin, de artis & nature ad methodum affectione flacceſcentem ſubtilitatem, de principatu & magiſterio dialectice miſellam theoriam protuliſti. At quamdiu iſta ſeſe ſophiſmatis accumulandis jactabit inſolentia? quamdiu nos hujuſcemodi eludent theoriæ? Nihil te Everarde logicarum legum majeſtas? nihil gloria exiſtimationis tuæ? nihil graviſſimorum hominum judicium? nihil hęc ipſa, qua de agimus, diſciplinarũ

magiſtra methodus? nihil te Cantabrigienſium tuorum ora vultúſque movent? Redi aliquando ad te: confice de methodorum numero propoſitam theſin: huc fontes ingenii tui aperiantur & deriventur: huc omnem judicii gravitatē, omnem vim lumenq; affer ſyllogiſticæ ſapientiæ: huc ſuadæ medulla neruíque omnes eloquentiæ tuę deducantur & expromantur. Sed cur te tam ſolicitè admoneo? Ecce adeſt illa Methodi diſceptatio quam requirimus. Nam methodi dialecticæ duas partes, tria inſtrumenta, quatuor cauſas quatuor breviuſculis, ſed valde delicatis capitulis complexus es. Quanquam hercle vel ego inani opinione ducor dum capitum iſtorum ambitu tractationem methodi concluſam eſſe auguror, vel ſi rectè divinarim, tua certè inſipida in iſtis capitibus eſt & putidiuſcula theoria. Quid enim? an tu rerum diſponendarū methodo vim inventionis & facultatem judicii velut membra affingis? an tu definitionem, diviſionem, ſyllogiſmum ad imprimenda rebus clariſſimi ordinis veſtigia methodi inſtrumenta eſſe ponis? an tu methodi materiam

riam vocibus secundæ intentionis, finem habitu scientiæ profecto cōtineri arbitraris? Non est ita Everarde. Etenim qui methodi naturam inventione & judicio partitur, educit ille quidem methodum e septis iis, quæ ipsa sibi præstituit, cùm illa alieni juris princeps esse nolit, sed conservatrix sui. Ac perinde facit ac si grammatista aliquis illam in grammaticis de convenientia generis & numeri præceptiunculam in Etymologiā & Syntaxin partiretur. Uterq; hercle qoud totius artis naturam plenè cumulatéq; complectitur, id unicę in arte particulę inelegāter ascribit. Quid definitio, divisio, syllogismus? eę ꝓfectò res sunt, non quibus uti methodus ad res perturbatas suis locis distinguēdas consuevit, sed in quibus ad ordinis cōcinnitatem revocandis methodus elucet ipsa. Priora duo ad inventionis acumen & ad naturam rerum illustrius exponendam valent: illud verò posterius ad judicandam subtilitatem consequentiæ. Quid dicam de vocibus secundæ intentionis? prædibilia opinor & prædicamenta intelligis. At illa tibi, si loqui possent, ꝓfectò litem

intenderent, quod tanquam ex cæmento & lapidibus domum, ſic ex ipſis methodi fabricam coagmentari velis. Quòd ſi ipſa in enuntiatum aut ſyllogiſmum illigata vis etiam ordine quodam collocari, non valde repugnabunt. Illud verò quale eſt, quod habitum ſcientiæ perfectum, methodi finem eſſe affirmes? Methodus muneri ſuo cumulatiſſimè ſatiſfecit, ſi res cõfuſas in unum & nulla certa lege conſtrictas ſingulas ſingulis locis pro claritate notitiæ diſpoſuerit: adeò ut ordinis præſtantiſſimi ſpectet ſolummodo & intueatur dignitatem. Quanquam non inficior ſi illa perinſignis variarum rerum collocatio acceſſerit, ſummam intelligendi facilitatem exiſtere. Verùm erravi ego fortaſſe, nec iſta abs te ad methodi diſpoſitionem referuntur, ſed de arte dialecticæ generatim diſſeruntur. Id ſi ita eſt; pulchrum nobis teſtimonium dediſti judicii tui. Video nimirum te in id unũ vehemẽter incubuiſſe, non tam ut propria & germana ſapienter attuliſſe, quàm ut longè diſjuncta conquiſiſſe & aliena ad præſentem cauſam detorſiſſe videare. Cum tibi

duplicis

duplicis methodi adversus P. Rami unicam confirmatio adornanda sit & argumentorum presidiis munienda: quorsum dialecticæ subjectum attingis? quorsum eleganti partium distinctione eandem illustras? quorsum definiendi concîsam rationem, distribuendi artificium, syllogismi dianoiam istuc advocas? quorsum logicæ doctrinę causas omnes attexis? Ecquid non animos nostros demonstratione bipartitæ methodi satis obtundere potuisti, nisi istuc rerum alienarum redundantia ad eosdem enecandos accessisset? Ecquid tua non modò fastidiis adhærescere, sed etiam ad vim incitandam valere vis justissimæ iracundię? Sed sustineo ipse me. Video enim te non sine causa causas dialecticæ induxisse. Vis enim illarum viribus methodi varietatem constitui & labefactari unitatem.

CAP. VI.

BENE est. Deventum est tandem aliquãdo ad tractationem institutæ controversię. Quid igitur ad methodorum multitudi-

titudinem vindicandam affers? quid ad unitatem methodi dissipandam? equidem mirifico quodam syllogismo confecta penè res est & profligata.

Uniuscujusque causa (inquis) *non est unica ratio.*
Unaquaq; causa est methodus. Liceat enim mihi assumere, quod tu ipse ad claritatem judicii supplere debuisti,
Methodus itaque non est unica.

QUID tibi homini tam analyticè θωρῦνα dicam? Credo hercle te a M. Ciceronis Antonio in secundo oratorio admonitum ad hunc texendum syllogismũ accessisse. Vult ille sese efferat in adolescente fæcũditas: ut esse possit in eo unde aliquid amputet. An tu rhetor Antonianus factus es? equidem profudit sese & ejecit fæcũditas ingenii tui. Quid enim? Binarium methodorum numerũ efferre decreveras: at pro tua fæcunditate quaternariũ extulisti. Vis tu unamquamq; causam esse methodum: & vis opinor quadripartitum genus caucausarum existere: unde necesse est quatuor

tuor genera consequi methodorum. Atqui verò quæ se nimium profuderunt revocanda censet Antonius,& velut inutilia sarmenta amputanda. Et certè quæ in tui ingenii ubertate inest luxuries, ea quanto adolescentem Antonii ætate antecedis, tanto magis depascenda est. Sed quid est quòd unamquamq; causam esse methodū existimes? nulla in efficiente & materia, nulla in forma & fine admonitio est, quid primo loco disponendum,quid conjiciendum in medium, quid ad postremum reservandum sit. Sunt inquam istæ causæ ejusmodi nullam ut methodicæ collocationis formulam interpretentur, sed quæ ipsę sint suis queq; sedibus ad methodi legem distinguendæ. Nec si causarum aliæ summæ sint,alię medię,aliæ infimę,idcircò e varietate causarum methodorum varietas enascetur. Quid? generum annon est valde dispar ratio? aliud generalissimum, interjectum aliud, aliud infimum existit. Adjuncta etiam annon dissimilem naturæ affectionem obtinent? quędam eminent & patent latissimè, quædam velut depressa sunt & dejecta inferius.

Nec

Nec tamen cuiquam aliquando venit in mentem pro generum & adjunctorum differentia methodos differentes commi-nisci. Ac proinde non causarum discrepãtia methodum discrepantem parit (unius enim & ejusdem methodi præcepto res gradu & ambitu dissimiles possunt pere-leganti ordine collocari) sed multiplex formula easdem res ad quandam ordinis dignitatem redigendi, facit ut methodus in dissidente & multiplici genere verse-tur. Quòd si eædem causæ, eadem genera & adjuncta vario methodicæ dispositio-nis modo digeri potuissent, sic ut ordinis instituti splendore intelligentiæ nihilo-minus & memoriæ consuleretur, profe-ctò hisce collocationum generibus non minus quàm unicæ Rami methodo tribu-endum putarem. Quare utcunque cona-tum ingenii tui amplectar, non possum quin judicium tuum vehementer deside-rem. Vides aliis tibi argumentis ad unita-tem methodi convellendam opus esse. Ac profectò nisi divinitatem quandam inau-ditę theorię attuleris, nisi cohortem Tho-mistarum, Javellorum, Dorbellarum, Tar-

tareto-

taretorum excitaveris, nisi denique integram monarchiam in campum & aciem eduxeris, nunquam unica P. Rami methodus vel oppugnata cedet, vel expugnata corruet. Sed ecce gravem huic, quam tantopere amplectimur, unitati plagam consequentibus telis inflixisse videri vis. Sic enim cum P. Ramo congrederis, Aeserninus nempe cum Pacidiano.

Qui unicam (inquis) *methodum statuit, est author confusionis.*
Ramus unicam methodum statuit.
Ramus itaq; est author confusionis.

VIN dicam quod sentio? Id statuo te aut nescire quid confusum & perturbatum dici debeat, quid contrà eleganter distinctũ & loco positum, aut si discrimen illud non vulgariter calles, P. Rami dialecticas reliquasq; commentationes nunquam attigisse, nedum legendo percurrisse. P. Rami tanta prudentia fuit in constituendis quodam ordine temperandisque disciplinis, ut hodie vigeat non modò Lutetia, sed tota ferè literaria respublica Rami institu-
tis

tis ſervandis & quaſi veſtigiis perſequendis. Quis poëta in numeroſa verborum concluſione quàm Ramus in artificioſa integræ diſciplinæ collocatione illuſtrior? Immo P. Rami unaquæq; commentatio eſt tanquam diſertiſſimi rhetoris oratio, in qua nihil ineſt verborum concurſu aſperum, nihil hiulcum, nihil diductū vaſtius, ſed omnia delicatiſſimis aſtricta numeris excellentem quandam & propè divinam ſuavitatem efficiunt. Quidvis itaque arripiendum potius fuit ad contumeliam, quàm objicienda confuſio. Sed inſtas ſcilicet & premis acerrimè, ut nempe non maledictum ſed criminis veritatem attuliſſe ad Ramum convincendum videare. Nota igitur elenchum confuſionis: illuſtra etiam argumento:

Quæ methodus (inquis) *ab univerſalibus progreditur, ea confuſionem magnam parit.*
Unica illa Rami methodus ab univerſalibus progreditur.
Unica igitur Rami methodus magnam confuſionem parit.

Propo-

Propoſitio hujus ſyllogiſmi quàm eſt a te egregiè exornata? quàm verè & acutè demonſtrata? equidem in arcem totius quæſtionis invaſiſti, quam ſi analyticis inſidiis & theorico ſtrategemate captam expugnaveris, Everardo non modò laurea & triumphi, ſed etiam inaurata ſtatua decernetur: fortaſſe etiam de monarchia cogitabitur. Excita itaque divinitatem ingenii tui, & quicquid habes argutiarum ac ſubtilitatis, id omne ad gloriam tuam exprome. Doce quanta e methodo ab univerſalibus progrediente confuſio oriatur.

Univerſalia (inquis) *ſunt obſcuriſsima, plena confuſionis & tenebrarum.*

Methodus itaq; ab univerſalibus progrediens author erit ſummæ confuſionis, obſcuritatis, tenebrarum.

Quid ſplendore hujus tuę theoriæ poteſt admirabilius fingi? quid cogitari magnificentius? Sed nō eſt Everarde integrū P. Ramo inventis jã uti tuis. Erravit enim: non guſtavit iſtam tuam theoriam: ſæpe in regia cathedra homo ſtultus methodum ab univerſalibus ductam ſingulari-

laribus verbis prędicavit. Talæe, pudet me tui: quid eſt quod Ramæe methodi dignitatem tentatam ab aliis & ſophiſmate oppugnatam tantopere vindicare ſtudueris. Anthoni Foqueline, Arnalde Oſſate, P. Bergeroni, I. Poitevine, quæ veſtras ætates iniquitas fortunæ excepit? quę veſtra ingenia anilis cogitatio irretivit? utinam hunc audiſſetis tam excellentem hominē, tam eruditum magiſtrum, tam ſcientem opificem logicę diſciplinæ, priuſquam tātus error de unica methodo animis veſtris infediſſet. ô ſtultos Martinios, Rhodingos, Beurhuſios, Oltingeros, Severinos: amentem Freigium, hebetem Scriboniū, nullius conſilii Makilmanæum, bardos deniq; & ſtupidos, quicunque illam Ariſtotelicam Rami ab univerſalibus methodum laudibus aut privatim exornarint, aut publicè celebrarint. Sed quoniam de iſtis hominibus actum eſt, quin pergis (elegantiſſime philoſophorum fili) Cantabrigienſem juvētutem ad hęc tam luculenta pręcepta erudire? non dubito quin illam facultate eloquentiæ tuę, ſi deflexerit a curriculo veteris diſciplinę, revocare poſſis.

Verum-

Verumenimvero Everarde quid agis? cur te is perditum? cur existimationem ingenii tui tam inconsultò projicis? Scilicet tu sapientior quàm Socrates, eruditior quàm Plato, acutior quàm Aristoteles, ea contemnis quæ illi idiotæ preclara duxerunt. An oblitus es quas laudes Aristoteles generalibus attribuat? Generalia sunt αἰτιώτερα, ἀρχοειδέστερα, ἁπλούστερα, ἐπιστημονικώτερα: quòd si igitur generalia in se rerum specialium causas complectantur, si eas ad illustrandas mirificam lucem adferant, si principiorum vim obtinere & imitari naturam judicentur: ubi est illa generalium obscuritas? ubi tenebræ? ubi confusio? Num causis quicq̃ illustrius esse potest? quicquam ab obscuritate remotius? illæ sunt quarũ admirabili luce res abstrusissimæ eruuntur & intelliguntur, involutę explicantur, caligine obsessæ collustrantur. Quid res speciales? an explicari possunt & intelligi non explicatis intellectisque generalibus? Non possunt hercle. Cùm itaque explicatio specialium e generalibus derivetur, adeò ut nisi ab eisdē lucem aliquam acceceperint specialia, eorum difficilis intelligentia

gentia futura sit & perobscura: quid est quòd generalia tanquã obscuritatis plenissima arguantur? quomodo possunt esse ἐπιστημονικώτερα & ἀρχοειδέστερα quàm sunt specialia, si fuerint obscurissima? Cur id porro difficilius intelligitur, quod simplicius est & pauciora complectitur? Cur denique ex universalibus oriri confusionem opinaris? universale quæcunque habet, ea ad specialia transmittit; quo fit ut specialium essentia partim ob ascitas a generalibus affectiones, partim ob suas & proprias fit e pluribus concreta illa quidem & temperata. Quæ est ista tanta confusio? ut primò generalium natura ad res plures communiter diffusa eleganti & succincta definitione proponatur: deinde in duas partes subtiliter distincta spectetur: Tibíne literæ intelligentia confusior quàm syllabæ, & syllabæ quàm orationis videtur? Tibíne argumenti natura ad intelligendum perturbatior quàm enuntiati, & enuntiati quàm syllogismi est? Habere naturam quæ ad res plures subjectas generatim attineat, non est id quidem

per-

perturbatum esse & confusum: præsertim cùm hæc generalis natura definita & partita membris exhibeatur. Quòd si rerum variarum dissidentes affectiones permisceri in generalibus & confundi summa ratione diceres, quas natura alias ab aliis sejunctas esse voluit, tum demum de confusione non gravatè assentirer. Aut si illa essentiæ in generalibus communione vel intelligentiam ipsorum impediri vel specialium obscurari naturam constaret, facilè adduci potuissem, ut tibi universalibus confusionem tribuenti concederem. Intuere P. Rami artem grammaticam: attende parumper rhetoricam: dialecticam perlustra diligentiùs: inquire in Arithmeticam & Geometriam: has equidem singulas disciplinas, eô artificio conformatas a P. Ramo & eo digestas ordine deprehendes, ut primo generalissima; deinde subalterna, postremo specialissima collocentur: & tamen nihil in illis confusum & impeditum, nihil perturbatum, nihil accersita obscuritate spinosum reperies.

Quid igitur ? Satin' refutata videtur universalium obscuritas ? Assentiri te dices, universalia esse clarissima, sed natura, non autem nobis.

Nam ut sol (inquis) *est omnium lucidissimus, quem tamen si aspexeris, & ipse sol, & reliqua omnia postea tibi erunt tenebræ: ita clarissimum natura est nobis obscurissimum.*

SICCINE adolescentum ingeniis vanissimæ distinctionis commento illudendum esse censes? Quasi verò quæ naturæ claritate antecellunt, ea nequeant esse nobis clarissima. Nónne obsecro universalia sunt nota nobis ? si neges, confitere te in dialecticæ præceptis plumbeum esse adhuc & planè hebetem: agnosce te tanquã humi stratum elegantem illam lineæ, superficiei, corporis, & rerum aliarum mathesin suspicere potiùs & admirari, quàm cujus generis & naturæ sunt, mente comprehendere: nega te in physicis, etsi in eisdem ferè consenueris, plus tamen propter generaliũ difficultatẽ incredibilem profecisse,

cisse. quàm Aesopi corniculam in musicis. Sin verò tibi logici artificii scientiã vendicare, si assumere laudem perfecti in Geometricis magistri, si deniq; summam physicæ sapientiæ cognitionem arrogare vis: quæ est ista tam inverecunda, tam theorica, tam somnolenta distinctio? dicere nimirum, universalia esse lumine naturæ suę notissima, nobis verò haudquaquam nota. Videmus humanæ cognitionis ergo artium disciplinas, quæ illæ cunque tandem sint, & paulatim e seminario naturę succrevisse, & ad aliquam penè maturitatem pervenisse: & tamen homines dicemus minimè posse istam rerum generalium, quæ sunt artium præceptis explicatę, tam excellentem & notitiam complecti & claritatem intueri? Quòd si igitur non modò specialia, sed etiam universalia nobis nota & nostram subire intelligentiam dicantur, nova tibi e schola Aquinatis accersenda distinctio est: novæ theoriæ nova fabrica dedolanda. Vides eam jam existere quęstionem, cum utraque sint nota, utrum eorum illustrius sit & notius. Huc redeunt illæ pro universalium clarissima luce Ari-

ſtolicæ laudes, quòd univerſalia nempe ſint αἰτιώτερα, ἀρχοειδέστερα, ἐπιστημονικώτερα, idoq́ue ad ſpecialium illuſtrationem adhibeantur. Nam quòd iſtuc ſimilitudines quaſdam ad removendam a nobis rerum generalium notitiam aggregaveris, nihil jam ab illis periculi metuendum eſt. Vis ut oculum ſolis lumine, ſic mentis aciem univerſalium ſplendore obtundi vehemẽter & præſtingui. Atqui verò nõ magis mihi phyſiologus videris, quàm dialecticus. Equidem ſi non ab aliis (qui tamen ſatis multi ſunt) ſaltem a Velcurione familiari tuo diſcere potuiſſes verſari in genere valde diſpari ſenſus mentiſque naturam: illius perimendi in excellenti objecto vim ineſſe: hanc, quanto clariora occurrũt, tanto magis velut excuſſa caligine ad intelligendum excitari: & quo ſeſe vehementius ad lucem univerſalium aſpiciendam intenderit, eo acutiorem reddi ſolere. Vide porro quid contra te iſta ex ſimilitudine arripiam. Ut lux ſolis propter acceptam a natura mirabilem claritatem eſt oculis noſtris maximè conſpicua: ut etiam ſolaris lucis beneficio res propemodum

modum infinitæ ſub aſpectum cadunt: ſic generalia propter inſitam ipſis & nativam lucem ab hominibus intelliguntur faciliмè: ſic etiam eorum lumine res ſpeciales tanquam colluſtratas intuemur. Ubi jam univerſalium illa tantopere a theorico doctore jactata obſcuritas? ubi illius tuæ contra methodi unitatem concluſionis gloria? Dum caput dialogi tui iſta de controverſia decimum ſextum intueor, dum illius poſtremum verſiculum attendo, riſum mediusfidius continere non poſſum. Inducis nempè Ramiſtam (ſic enim appellas) confitentem erraſſe ſe jamdiu, & planè agnoſcentem methodum non eſſe unicam. Ita videlicet hominem acumine tuo perculiſti: ita valentem & nervoſam theoriam adhibuiſti: ita admirabili & ſingulari eloquentia peroraſti. Nam

Alia (inquis) *methodus initium ducit a luce, alia orditur a tenebris: alia a mente, a ſenſu alia: alia a nobis, alia a natura: alia deſcendit, alia aſcendit: alia progreditur alia regreditur: alia texit, alia retexit.*

QUAE tuum ingenium (analytice methodorum architecte) tam foecundæ & adipales Musæ obsederunt, cùm ista cudebantur? Ut methodus pro rerum disponendarum notitia & lumine conformetur, ut ab universalibus quæ & ratione naturæ suæ & nobis sunt notissima inchoetur, ut descendat, progrediatur, & ordinem apta collocatione texat: ista omnia approbo, exorno, amplector: & in unicam P. Rami methodum eleganter convenire disputo. At verò qua fronte philosophus dialecticis imbutus, analyticæ theoriæ sapientiam venditans, spirans denique majestatem præstantissimæ monarchię, dicere audebit methodum aliquam esse quæ a caligine & tenebris progreditur? istud profectò tale est, summo ut studio certasse videare, ne quis Everardū vel Dorbella vel Scotista delirio insulsissimi sophismatis aliquando superaret. Quid de methodo regrediendi & a singularibus sensu perceptis ad generalia ascendendi dicam? Quid de retexendi ratione? utraq; hæc methodus accuratiùs deinceps excutietur, & infantissimi elenchi convincetur.

CAP. VII.

VIDES (Everarde) methodi unitatem nondum ingenii tui theoriis dissipatam corruisse. Attamen quasi re confecta palmam lemniscatam expectares, pro authoritate monarchię tuæ methodum partiris, & generum varietate distinguis. Methodus (inquis) distribuenda videtur quibusdam habita ratione nostri vel rerum subjectarum. Sanè verò qui methodum sic e rerum ipsarum natura metiuntur, ut quę lumine notitiæ cæteris antecellit, ea primam sedem obtineat, quæ claritate naturæ proxima est, ea secundo loco collocetur, & ita deinceps: ii certè id unum agunt, ut magnam nostri videantur rationem habuisse. Nam ista tam prudente rerum dispositione non modò intelligentiæ nostræ, sed etiam memoriæ consulitur prę-clarissimè. At si quis pro varietate hominum quòd alii agrestes sint & impoliti, alii alacri ingenio & ad humanitatem liberaliter instituti: aut pro rerum discrepantia, quòd aliæ illustres natura claræque

ſint, aliç in quadam obſcuritate verſentur: ſiquis (inquam) pro iſta diſſimilitudine multitudinem methodorum confingendam eſſe ſtatuat, is hercle ex illis eſt quē muſæ dialecticę nondum ad ullam judicii accurationem expoliverint. Non aſſequitur animo Rameę methodi dignitatē: non utilitatem & neceſſitatem intuetur. Sed quid eſt cur non methodorum fabricator iſte parem diligentiam in cæteris dialecticæ partibus adhibeat. poterat cōſimili ratione inventio argumentorū pro genere perſonarum dupliciter diſtingui, adeò ut alia imperitis, alia doctis traderetur. Verum perge & methodi primam diſtributionem propone.

Methodus (inquis) *alia popularis eſt, alia exacta.*

QVAENAM eſt methodi tam inconcinna diſtributio? Si dixeris enunciati aut ſyllogiſmi diſciplinam aliam ad ſenſum communem accommodari, aliam verò politiùs eſſe & ſubtiliùs informatā: annón te populares tui riſu & ſibilis excipient? eiſdem enim præceptis in veri-

tate

tate pervidenda, eiſdem legibus in judicio conſequentię uti poſſunt & illi qui nullius elegantiam diſciplinę attigerunt, & illi qui Academiam profitentur. Sic methodus non eſt certis definita perſonis, nõ ad res certas alligata, ſed una eadẽq; ad rerũ univerſarum collocationem, ſive generales ſive ſpeciales fuerint, poteſt & debet ab oĩbus, ſive ſit tradenda diſciplina imperitis, ſive eruditorũ exaggeranda cognitio, ſemper adhiberi. Quantum enim de unica illa ab univerſalibus via detrahitur, tantum de rerum facili intelligentia & memoria imminuitur. Non ignoro ab oratoribus & poëtis methodi quandã κρύψιν interdum ſcienter inſtitui: ſed occultatio iſta quæ non totius methodi abſoluta inverſione, ſed partium quarundam vel ellipſi vel redundantia vel prępoſtera diſpoſitione efficitur, occultatio (inquam) iſta ſcenæ profectò eſt & paleſtræ, aut potius ad permovẽdũ quæſita, quàm ad docendũ inſtituta. Quare popularẽ illã, quam appellas, mihi pro methodo admittere religio eſt: ſit ſi placet methodi quędã κρύψις. Quid ſi rhetor aliquis in artis exquiſita

descrip-

deſcriptione pronuntiandi artem in rectā & viſitioſam partiretur, aut ethicę doctrinæ magiſter juſtitiam eas in partes diduceret, quarum altera veritatem juſtitiæ cōplecteretur, altera juſtitiæ adulterinam imaginem referret : ecquid aut illum ſic pueriliter rhetoricantem, aut hunc de justitia contra legem juſtitię philoſophantem ferre potuiſſes? Removeatur itaq; illa tua popularis methodus : cujus eſt abs te nō ſatis dilucidè explicata definitio. Nam

Popularis methodus eſt (inquis) *qua materiam ſubjectam ſecundum communis prudentiæ regulam abſolvit.*

QUID tandem eſt materiam ſubjectam abſolvere ? an eam definitione tractare? an diſtributione evolvere ? an ſyllogiſmo diſceptare ? at iſta naturam methodi non attingunt . An igitur abſolutio ſubjectæ materiæ idem eſt quod materię æſtimatæ jam ac judicatę diſpoſitio ? ſi ſit, peregrinā loquendi formulam valdeque alienam affers. Agedum exacta methodus quid eſt ? in illius explicatione more pſittaci dictata recitas

recitas. Bis ternę istuc exactę methodi definitiones sunt aliunde repetitæ. Quarum certè aliæ inanes sunt & heterogeneę: alię ad referēdam methodi effigiem velut typi quidam rudes & inchoati: nulla verò integram illius naturam & suis absolutam numeris proponit. Non satis est dicere methodum esse præcedentium & consequentium artificiosam dispositionem, nisi etiam quomodo sit informanda dispositio, quibus gradibus distinguenda, quem ad usum concinnanda, explicetur. Equidem ista tanta definitionum copia lubricam in te & fluctuantem de methodo opinionem arguit. Quid sit methodus dicerem nescire Everardum, nisi philosophum celeberrimas theorias ostētantem, & de methoho texentem dialogos in definienda methodi natura habetem esse & imperitum, propè incredibile videretur. Qui conclusionis necessitatem exactę methodo propositam esse contendit, ecquid huic philosopho compertam esse methodi rationem & exploratam dicemus? nulla hîc vigilantis sana oratio, sed somniantis inane phantasma.

CAP.

CAP. VIII.

SED excita tandem (Digbeie) consopitam illam intelligentiæ tuæ facultatem: evoca aliquam magnificam theoriam: nec patiare nos desiderio diutius languescere suavitatis tuæ. Quanquam hercle non inficior quin te hactenus satis liberalem experti simus. Etenim exhibuisti nobis pleráque methodi ornamenta. Proposuisti methodum speculantis, methodum agentis, methodum demonstrãtis, methodum docentis, methodum credentis, methodum dubitantis, methodum lucis, methodum tenebrarum, methodum mentis, methodum sensus, methodum nostri, methodum naturæ, methodum descendendi, methodum ascendendi, methodum progrediendi, methodum regrediendi, methodum texendi, methodum retexendi, methodum popularem, methodum exactam. Non possunt istæ methodorum deliciæ, quas tuæ Analyticæ Musæ quasi uno partu excluserunt, sine aliqua grata commemoratio-

ne præteriri. Quę jam superſunt methodi? Methodus tibi una eſt a notioribus nobis, altera a notioribus natura. Suade iſta vel potius perſuade.

*Diſcens (*inquis*) & docens, nos & natura in oppoſitis conſiſtimus terminis.*

Duplex igitur eſt methodus, altera a notioribus nobis, altera a notioribus natura.

MIRIFICA hercle ſuaſio, eáque digna roſtris vel raſtris potiùs. Primùm quæ eſt illa natura, quam nobis tantopere oppoſitam eſſe vis? an ratus in rerum univerſitate & conſtans ordo? opinor repugnabis. an rerum generalium natura? ea certe eſt. Sed quid ita? num propter obſcuritatem? at docuimus etiam ratione noſtri generalia lumine notitiæ præcellere. Num quia a nobis tanquam a principio ad generalia tanquam ad aliquod in arte extremum progredimur? At inquam in perdiſcendis diſciplinarum artificiis nec a nobis, nec ad nos progreſſionem ullam inſtituimus: atque ut generalia extremum in artis

con-

conformatione locum obtineant, id a te quasi concessum temerè arripitur, non ratione demōstratur. Deinde concedatur si placet, nos & naturam in oppositos terminos concessisse. Quid an inde duplex methodus consequetur? ut hujus consecutionis sapientia clarius elucescat, res ad formam integri syllogismi revocata, proponatur.

Duo oppositi termini efficiunt duplicem methodum.
Nos & natura sumus duo oppositi termini.
Nos igitur & natura efficimus duplicem methodum.

NUNQUID te ista pungunt? num theoriç tuç jejunitatem produnt? propositio istius syllogismi si generalem sententiam cōplectatur, sophismate offendit inanissimæ falsitatis: sin verò particularem, non es in texendo syllogismo syllogismi legibus obsecutus. Ut enim sese parum verecundo mendacio constringit, qui a quibuslibet oppositis terminis duas oriri methodos affirmat: sic qui propositionem syllogismi

gisſmi in prima Ariſtotelis figura diſpoſiti particularem efficit, is non ad ſyllogiſticæ præceptionis formam accommodatè diſſerit, ſed ad fraudem & captiunculam turpiſſimè deflectit. De Aſſumptione quid dicam? illius antea ſatis eſt demonſtrata vanitas. Cùm igitur in ſyllogiſmi tui partem antecedentem tam inſignes elenchos conjeceris, adduci non poſſum tibi ut de complexione aſſentiar. Quid eſt (Digbee) quòd tibi homini acuto tam obtuſa, inſtructo a logicis tam ἄκρα ſapiēti tam inſipida exciderint? Multa tu quidem de oppoſitis terminis fabulare. Hinc eſt quòd aliam docenti, aliam diſcenti methodum attribuas: quaſi a magiſtro diſcipulus non eadem methodo ad percipiendam artis diſciplinam ducendus eſſet, ad quam ars ipſa exædificata eſt. Si ars a ſummis per intermedia ad infima deſcendit, primùm ſumma illa à doctore tradenda diſcipulo: deinde decurrendum ad intermedia: poſtremò de infimis cogitandum. Neq; verò inverſa illa rerum collocatione, quæ a ſpecialiſſimis inchoata generalium decurſu terminatur, diſcipuli

E. imbecilli-

imbecilitas ſublevatur, ſed variis rerum præpoſtero ordine confuſarum difficultatibus penè obruitur. Sit igitur diſcipulus is, quem abhorrentem a literis natura ad tarditatem finxit ingenii, qui ſeſe abjecit ad dedecus, qui eſt potiùs ad ſtivam relegandus quàm ad Academiam tranſmittendus: attamen ſi refragantibus Muſis ad alicujus deguſtandam acroaſin diſciplinæ aliquando ſe cōtulerit, unica illa ad hunc informandum P. Rami methodus afferetur. Quæ itaque generaliſſima exiſtunt, ea primū ſunt huic tam vaſto & hebeti Corydoni inculcanda: deinde impingenda ſubalterna: ad extremum ſpecialiſſima obtrudenda. Quòd ſi diſcētis induſtriam generalium obſcuritas retardaverit, eſt ea non modò facili interpretandi genere minuenda, ſed etiam familiariſſimis & illuſtriſſimis exemplis diſſipanda. Atque hanc a generalibus viam expedit perpetuò & ab omnibus adhiberi: cùm præſertim ſit accuratiſſimi compendii, & res univerſæ iſto ordine prudenter colligatæ facilimè poſſint cognitione comprehendi hominúmq; memoriis inſidere. Cōtrà autem ſi quis ar-

tis

tis præcepta ad hūc ordinem redegerit, ut res specialissimæ velut prima acie dispōnantur, subalternæ in mediam turbam dimittantur, generalissimæ postremo agmine concludantur: dici non potest quanta & quàm gravia sit in artem sophismata illaturus. Primò intelligētiam mentis distrahi vehemēter & perturbari necesse est, cū ea in specialiū explicatione cōfundantur, quorū cognitionē e generalibus repetendā esse constat: cūq; ab antecedentibus præceptis consequentia illustranda sint, quæ esse potest in rebus ad hanc methodū dispositis perspicuitas, in qua generalia specialium causas cōplexa ideoq; ad lucē eisdem afferendam aptissima ad infimum in arte gradum deprimuntur? Deinde quę tandem ex ista methodo non oritur difficultas memoriæ? quî fieri potest ut frequentibus & cōfusissimis obruta tautologiis non languescat ac succumbat? Nam cū sit generaliū demōstratio nondū informata, necesse erit ut in singulis specialibus communes affectiones minimæ illę quidē definitæ adhuc & explicatæ iterentur. Quid ergo Everarde? cum ex P. Rami

methodo (ut de artis ordine isto dispositæ eleganti brevitate taceã) duę summæ utilitates nascantur, expedita nimirũ rerum intelligentia & facilima memoria: num eã a specialibus viã, quæ a te methodus notior nobis methodusq; discentis appellatur, meritò tibi abjudicare & rejicere videmur? utpote quæ perturbatione intelligentiæ, memoriæ confusione, rerum tractu longiore nimiumq́; excrescente offendat gravissimè. Verumenimvero partitio illa rerum notiorum Aristotelica Everardum decepit & in fraudem induxit: immò mirificæ ex eadem tenebræ sese multas ad artes diffuderunt. Inquiramus igitur in eam parumper: spectemus num satis logicè prudenterq́; facta sit: & si sit, num ex ea methodus bipartita deduci possit videamus. Notius itaq; ut placet Aristoteli, duplici ratione distinguitur: aliud est notius nobis, aliud notius natura. Dico Everarde notioris partitionem istam esse ab organicæ disciplinæ magistro potius somniatam, quàm cogitata institutam ratione & judicio. Etenim in ea modus notitiæ cum homine cui res nota sit perinscitè
com-

comparatur. Quid si artifex medicinæ in rerum salubrium distributione diceret, alias esse hominibus salubriores, alias verò natura: annon risum prudenter intelligentibus commoveret? Si musicus e duobus sonis propositis illum acutiorem nobis, hunc natura acutiorem esse contenderet, annon Musicum istum planè derelictum a Musis esse diceres? Dic jam Digbeie hunc sonum esse natura acutissimum, sed nobis ne acutum quidem: Dic hunc colorem esse natura splendidissimum, sed nobis valdè obscurum & tenebricosum videri: Dic errasse Aristotelem, cùm disserit id esse absolutè & natura bonum, quod viro bono tale sit: id absolutè salubre, quod hominibus corpore bene affectis salubre sit: & id similiter natura & absolutè notum, quod nobis mente eleganter compositis notum existat. Dic etiam Jacobum Carpentarium, cui tu plurimum tribuis, delirasse, qui primo suæ physicæ descriptionis capite docet eadem esse omnino & natura notiora, quæ sapienti notiora sunt. Quòd si in hisce non erravisse Aristotelem, non lap-

ſum eſſe Carpentarium, ſed utrunq; verè philoſophatum eſſe arbitrere, rejicienda ꝓfectò illa eſt tam inepta rerum notiorū comparatio, ſtatuēdúmq; quæ natura notiora ſunt, eadem ipſa eſſe nobis notiora. Pluribus iſtius partitionis infantiam refellerem, niſi eandem eſſem & antea ſatis fuſè ſexto capite perſecutus. Age verò, qđ cōmentitium eſt, ſit illud tamen ſi placet veritati conſentaneum: ſit iſta legitima & ſapienter confecta partitio. Quomodo tādem ex iſta partitione binarium methodorum numerū deduces? Vin' in arte conſtituenda ut a ſpecialiſſimis ad generaliſſima progrediamur? eæ enim tuo judicio nobis ſunt notiſſimę. At (inquam) ſi rebus ſpecialiſſimis ſingulares & ſenſu perceptas comprehendis, ab iis artem exordiri vis quæ nullam in artem excepta Aſtronomia cadunt. Sin ſubalterna intelligis, minimè illud, quòd propoſueras, aſſequeris. Nam ſubalterna iſta, cùm naturam obtineāt ad res multas generatim diffuſam, erunt etiam vel tuo judicio ad rationem naturę nota & illuſtria. Quid dicam de incommodis quę ex iſta a ſpecialibus ad gene-

generalia progreſſione redundant ? Diſſerui de perturbatione mentis & intelligentiæ : memoriæ confuſionem inde natam demonſtravi. Quapropter Ariſtotelica notioris diſtributio ut anilem ſubtilitatem redolet ſcholaſtici ingenii : ſic ad duplicem artium conformandarum methodum conſtituendam eſt longè ineptiſſima.

CAP. IX.

SED ecce e duplici in homine principio duplicem methodum exilere vis.

Sagax natura (inquis) *hominem ab ortu ſic inſtituit, ut duplicis methodi duplex in ſe principium repræſentet, lucis ſcilicet & tenebrarum.*

QUAE tandem lucis & tenebrarum vocabulis principia interpretaris ? Quantum ex oratione tua divinare poſſum, lucem pro mente, tenebras pro ſenſu poſuiſti.

Quid tibi in mentem venit ut ſenſum cum tenebris tam inconſultò conferas ? Vis ſpecialia eſſe nobis clariſſima , aut quia ſenſu apprehenduntur, aut quia ſenſui vicina ſunt : & vis etiam iſto tenebrarum (ut appellas) principio res diſtinctè & particulariter (ſic enim loqueris) diſcerni ac judicari. Quomodo igitur, cùm ſenſibus cognitionem, cùm vim accuratiùs diſtinguendi ac judicandi eiſdem concedas, quomodo (inquam) ſenſibus cùm tenebris tanta cognatio intercedit? Verùm remitto iſtud tibi: ſit ſenſus principium, ſit mens etiã principiũ ſcientiæ & cognitionis acquirẽdæ. Quid tum? an hinc duplex methodus exiſtet? hujus tam frigidæ conſequentię judicium quis ita ſtupidæ mentis eſt aliquando ut probet ? Agnoſco e ſenſuum obſervatione & rerum inductione omnem cognitionem defluxiſſe. At verò res ſingulæ, poſtquam ſubſidio ſenſuum & mentis lumine cognitæ fuerint, ſi volumus ipſas ordine aliquo devinciri, ſunt illæ quidem unica P. Rami a generalibus methodo digerendæ. Aliud eſt ſenſus mentiſque beneficio ad rem intelligen-

intelligendam pervenire: aliud res intellectas methodo disponere. Neque si acquirendæ cognitionis via in multiplici genere sita sit, idcirco rerum jam cognitarum dispositio in varias ac repugnantes species distinguetur. Quòd si rationem parandæ scientiæ quæ per sensum efficitur, methodum appellas, & idem de mentis ad rem cognoscendam actione statuis: duas hercle præclaras methodos constituis: quarum utraque tantum abest a veritate methodi, quantum abesse videmus aut vanitatem contorti sophismatis a laude sapientiæ, aut Everardi analyticā theoriam ab ornamentis excultissimæ disciplinæ.

CAP. X.

SI quantum voluntate contendis, tantum studio & facultate potuisses, eam hercle ad magnitudinem theoria dialogi tui excrevisset, ut quod nunc Analyticæ tuæ monarchię proprium est, nempe ut a nemine ferè sumatur ad legendum, id ei cum dialogo tuo commune extitisset.

Sed pręclarè cecidit quod in excitanda monarchia maximam partem ornamentorum & ſapientiæ tuæ conſumpſeris: adeò ut ad exornationem dialogi paucæ duntaxat reliquiæ ſupereſſent: quæ tamen eas ſophiſmatum ineptias complectuntur, ut aliis miſerandæ, aliis deridendæ videantur. Earum jam multas, cùm indignæ eſſent quæ verbo refellerentur, tamen uberiore oratione diſceptavimus. Reſtant & aliæ pari elegantia quiſquilię ad unitatem methodi abrogādam aliunde iſtuc comportatę.

Non eadem (inquis) *methodus eſt ſcientiis inveniendis & docendis. duplicem igitur eſſe neceſſe eſt.*

SICCINE hallucinari placet? Cùm de artificioſa rerùm, quę jam inventę ſunt & ſeparatim judicatæ, collocatione agatur, quæ te tam præceps theoria impellit, ut ad convellendam methodi unitatem artium inveniendarum methodum opponas? equidem pro tua in logicis ſingulari

ri ſapientia duplicem nobis ex hac inveniendi methodo elenchum peperiſti. Nam & rem falſam proponis, & ſi maximè vera eſſet, tamen alienam. Vis artium inventionem a finis deliberatione oriri, & ſic à ſummo fine per media ad infima deſcendere. Quo quid dici potuit homine philoſopho indignius? omnes enim diſciplinæ, poſtquam naturę per ſenſum obſervatio acceſſiſſet, ex accurata ſpecialium inductione per ſubalterna ad generaliſſimum aſcendendo effloruerunt. Sic grammaticæ elegantiam adhibita inductione obſervatio peperit caſtiſſimæ dictionis. Sic dialectica non eſt e commentis nata ſcholaſticæ theoriæ, ſed ab imitatione excellentiſſimæ in uſu diſſerendi rationis per inductionem derivata. Sic Matheſis numerorum & magnitudinis: ſic ſplendor univerſæ phyſiologiæ velut e naturę igniculis inductione ſpecialium ad generale conſtituendum antegreſſa emicuit primò & illuxit. Hinc Hyppocrates, cum medicinæ ſingulares quaſdam obſervationes in Aeſculapii delu-

delubro consecratas esse vidisset, generalia medicinę theoremata constituisse dicitur. Eadem est Aristotelis de artium inventione sententia: a quo certè homine tua jamdudum vehementer aberrat oratio. Ille in posterioribus Analyticis observationem, experientiam, inductionē, quod ab hisce omnium artium instituta procreentur, copiosè magnificèque celebrat. Ille in ethicis finem assumendum, non de eo consultationem ineundam esse disserit. Tu contrà in artibus inveniendis de fine adhibendam deliberationem esse contendis. Sed facio injuriam Everardo. Aliud est illi a summo fine per media ad infima descendere: aliud ab universalibus per subalterna ad specialissima. Ac proinde quod ipsi doctrinarum a generalibus ad specialia descendendo inventionem attribuerim, crimen fortasse mihi illatæ calumnię subeundum est. Vult enim in eo culpa vacare, in quo P. Ramum reprehendit.

Ramus (inquit) *omnis impatiens distinctionis nullam aliam vult esse methodum aut*

aut inveniendi aut docendi, quàm potissimam hanc & demonstrativam a generalibus ad particularia (idenim a te intelligi necesse est) At hac exactè inveniendis & docendis scientiis potius quam nobis instituendis est accommodatior. & paulo post: Analysis (inquit) *dicitur vel descensus a fine ad media, vel a generalibus ad specialia: priore acceptione artes inveniuntur, posteriore explicantur. Cap. xxi.*

Quid (ut de barbarismo taceam) istis futilius? Quid illotum magis & inquinatum fieri cogitarive potuit? primo infantissimæ distinctionis commento tibi ipsi imponis. Nam finis ille, quem in deliberationem cadere vis, annon toti arti inveniendę communis est? & media generalissimo fini proxima, annon etiam subalterna dici possunt? possunt hercle. Atque hac ipsa a generalibus ad specialia methodo accuratam disciplinarum invẽtionem institui disertissimis verbis affirmas. Recognosce mecum verba tua, quibus demonstras methodum ab univer-

versalibus ad singularia esse accommodatiorem scientiis exactè inveniendis & docendis, quàm nobis instituendis. Tuo igitur judicio artes a generalibus ad specialia descendendo inventæ sunt. Deinde quid est quod Rami dialecticam tam sine verecundia calumniere? Illene methodo a generalibus artium inveniendarum rationem contineri aliquando diceret? Illéne tecum Everarde tam pingue & lutulentum sophisma tueretur? Illéne quę toto genere accurarissimis præceptis distinxit, ea tam aniliter & ineruditè confunderet? Magnam in hominem divinissimi ingenii, sed publico triginta annorum testimonio refutatam calumniam contulisti. Postremo quale illud est quod isti methodo affingas? esse nempe eam scientiis docendis quàm nobis instituendis accommodatiorem. Monstrum quoddam & portentum narras. Qui unquam tradendarum scientiarum artifices non eam in discipulis suis ad cognitionem erudiendis methodum secuti sunt, ad cujus legem ars illa, quam tradiderunt,
de-

descripta esset? si modò methodus illa artis pręcepta ad clarissimum ordinem redacta gradibus quibusdam ad intelligentiæ & memorię facilitatem elegantissimè distinxisset. Vides grammaticæ præcepta eo ordine digesta, ut primo grammaticæ definitio proponatur: tum partitio in etymologiam & syntaxin subsequatur: deinde tota etymologiæ ratio utilissimis comprehensa theorematis exhibeatur: postremò explicata jam etymologia vides universæ syntaxeos disciplinam eodem ordine pertractari. Tu fortasse homo sapiens & variarum methodorum lautissima supellectile abundantissimus, si tibi aliquot discipuli essent ad grammatici artificii sic descripti scientiam informandi, eisdem opinor primo syntaxin tracto a postremis illius præceptis initio ad discendum proponeres: deinde gradatim ab ultimis ordiendo etymologiæ instituta peragrares. Equidem remitterent tibi istam diligentiam discipuli tui, & se cum tua nova metho-

methodo libenter carere, tum iſta diſpoſitę artis methodo erudiri facilè paterentur. Sed attende ipſe tecum (ô philoſophorum fili) & diligenter intuere, quem ad finē artes excellentiſſimi ordinis ſplendore illuſtrentur. Annon ut confuſione diſſipata ipſas & intelligentia & memoria facilius complecteremur? Id ſi ita eſt, cur non quæ methodus diſponendis artibus accommodatiſſima perhibetur, eadem ad alios inſtituendos videri debet aptiſſima? Sed ut ad inſtitutam theſin revertar, pervicit ratio, & authoritas Peripatetica confirmavit ſingulas artes e ſpecialium inductione ad generale conſtituendum adhibita effluxiſſe. Veruntamen pręceptorũ inventionem facto a generalibus à ſpecialia progreſſu cæpiſſe, cui ratio communis vehementer reclamat, tanquam veriſſimum obtineto. Quid hinc conſequetur? an duplicem eſſe methodum, unam artis inveniendę, alteram diſponendę? pudet me tui Digbeie. Ars inveniendi & artes ipſas & cætera omnia eſt a P. Ramo in prima dialecticæ parte luculentiſſimis decretis informata. Nulla hîc de artium

in-

inventione, ſed de tota ipſarum ad ordinem conformatione queſtio eſt. Partitus ille eſt in duo membra univerſam dialecticæ naturam, inventionem nempe & judicium. Inventionis vim ad res omnes inveniendas ſive illæ artium genere concluderentur, ſive ab artibus eſſent aliæ, generatim diſpertivit. Deinde omnem judicii facultatem enuntiato ad veritatem judicandam, ſyllogiſmo ad diſceptandam conſequentiam, methodo ad ordinem imprimendum comprehendit. Qui igitur ad labefactandam Rameæ methodi unitatem methodum artis inveniendæ opponit, equidem non propoſitam queſtionem attigiſſe, ſed eidem tergiverſando & rem alieniſſimam opponendo egregium ſophiſma videbitur ſuffudiſſe. Contendit Ramus unicam eſſe artis jam inventæ & ſeparatim enuntiato aut ſyllogiſmo judicatę ad ordinem revocandæ methodum. Tu eum ad refellendum affirmas duplicem eſſe methodum, unam collocandæ artis, alteram ejuſdem inveniendæ. Perinde eſt ac ſi cō-tra rhetorem veriſſimè affirmantem rhe-

toricę pronuntiationis rationem bimembrem esse, eamque voce aut gestu contineri, illico opponeres eandem esse triplicem, unam vocis moderandæ, alteram gestus conformandi, tertiam orationis per tropos exornandę. Quapropter artis inveniendę ratio a quęstione de artis inventæ ac judicatæ methodica collocatione removeatur.

CAP. XI.

NON adhuc methodorum varietatem theorię tuę procrearunt: non adhuc Rameæ methodi unitatem evertere potuerunt. Veruntamen ita magni animi es, ut nondum cedendum esse, nondum hastas abjiciendas putes. Quibus ergo præterea argumentis pro multiplici methodo decertatur?

Methodus (inquis) *docendi duplex est, una ab universali ad specialia descendens, alia ab imo ad summum per synthesin ascendens.*

Atqui

Atqui (inquam) ſyntheſin hanc, quam anteà methodum nobis notiorem appellaviſti, docuimus eſſe non concinnitate ordinis inſignem, ſed ejuſdem inverſione præpoſteram, perturbatione intelligentiæ odioſam, memoriæ confuſione deteſtabilem. Iſtam methodi partitionem potiùs ut monarcha imperas, quàm ut politus e ſchola magiſter demonſtras: ideóque ſtatim ad alia quædam digrederis. Conaris igitur primùm in laudem methodi analyticæ velut panegyricum ſed illum breviuſculum concinnare: quòd nempe ſit divina virgula: quòd greſſus dirigat mortales ad lucidum veritatis fontem: quòd ſit Homeri aurea catena: quòd per eam ad Chryſtallinum ſcientiæ cœlum aſcendamus: quòd fidem noſtrā non imploret: quòd ſit certa ratio & indubitata: quòd ſit methodorum exactiſſima. Magnæ profectò laudes. Sed vide quàm parum conſtanter egeris. Addis enim hanc ipſam methodum nobis eſſe obſcuriſſimam, & dialogi tui decimo ſexto capite, eandem authorem confuſionis, plenam tenebrarū, ſummi erroris

& ignorantiæ abyſſum appellas. At quî fieri poteſt ut methodus analytica ſit nobis inſtar diviniſſimæ virgulæ? ut illius ductu ad fontes excellentiſſimæ veritatis & ſcientiæ veniamus? ut veſtigiis noſtris ad rerum optimarum cognitionem dirigendis magiſtra ſit & princeps? ſi nobis ipſam inſequi cupientibus non modò ſummam caliginem & tenebras offuderit, ſed ita præiverit, ut nos a ſcientia ad inſcitiam,& a veritate ad errorum portenta deducat. At longè ſecus eſt: elegantiſſimæ methodo graviſſimam contumeliam inuris, ſed a nobis ſexto capite refutatam. Nugaris deinde de multiplici Analyſeos poteſtate: ubi a P. Ramo quatuor analyſeos ſpecies factas eſſe aſſeris. Carpentarii figmentum agnoſco: tuam & credulitatem reprehendo, & in Ramo legendo diligentiam deſidero. Iſthuc varias ineptias accumulas. Sæpius antea diſſeruiſti methodum analyticam deſcendere: hîc tamen quæris utrum methodus analytica ſit aſcenſus an deſcenſus. Potes certè de Everardo, poſtquam antecellere eum gloria ſapientię

entiæ edocueris, eadem ratione quærere ſitne Everardus ſapiens an ſtultus. Pergis deinceps analyſeos & demonſtrationis differentiam interpretari. In cujus explicatione differentię, duplicem elenchum ſubjeciſti. Nam analyſis iſta, cujus a demonſtratione diſcrimen explicandum ſuſcepiſti, naturam ſortita eſt a methodi inſtituta quæſtione alieniſſimam. Quis enim ita bardi ingenii eſt, ut putet methodum a quæſtione procedere per proximam cauſam, ab hac ad tertiam, perpetuò cauſam aliam ex alia retexendo? Quod verò ad demonſtrationem attinet, cùm ſit commentitia ſubtilitas non frugifera diſciplinæ præceptio, nata in peripato, non obſervata ex uſu rationis, alta in ſophiſtarum umbraculis, non educata in curriculis ſapientum, adhibita ad pompam & ſpeciem, non ad uſum evocata: non fuit de analyſeos ab illa diſcrimine tantoperè laborandum. Demonſtrationem eſſe ſyllogiſmum placet Ariſtoteli, ſed ita contextum ut quæſtio διότι concludatur. At hujus ſyllogiſmi neque materia ulla eſt neque for-

ma. Vt enim nulla propria causa reddi potest, per quam subjecto inesse dicatur propria affectio: sic cùm ad quæstionem διότι concludendam incubueris, concludes illico τὸ ὅτι. Hujus demonstrationis sapientiã Peripateticus sexti ethici contemplator ethicę disciplinę auditoribus commendavit. Quis non eximiam contemplationem & planè admirabilem esse dicet, in texendo videlicet syllogismo demonstrativo per omne tempus ætatis operam studiumque consumere? Equidem in texenda fabrica tam divini syllogismi apparebit sudor Sysiphi, sitis Tantali, amor Narcissi. Nã contemplator ille:

Spem sine corpore amat, corpus putat esse
quod umbra est:
Et placet & cernit, sed quod cernitq́; placetq́;.
Non tamen inveniet: tantus tenet error amantem.

Mitte itaque analyseos a demonstratione differentiam: mitte etiam de analyti-

lytica methodo tam incultam & leviculam theoriam. Non enim methodus generalia in particularia resolvit: non integrum in membra, aut finem in media distinguit: non a quęstione conclusa progreditur aliam causam ex alia retexendo donec ad primam deventum sit. Sunt ista ingenii tui commenta in methodicę collocationis quęstione nimium peregrinantis. Nam methodus hasce res prius & eleganter definitas & in membra perartificiosè distributas pro naturę in singulis claritate, ordine, & loco disponit. Quin & in eo vehementer erras, quòd demonstrationem esse methodũ perfectissimam arbitrere.

Quæ (inquis) *a causa perfecta ad conclusionem perfectam procedit, ea sola est methodus perfecta.*

Demonstratio a causa perfecta ad conclusionem perfectam procedit.

Demonstratio igitur sola est perfecta methodus.

QUID huic tam delicato pro demonſtratione argumento fiet, ſi demonſtratio umbra duntaxat ſit, ſi ſomnium, ſi figmentum? Sed fingamus non modò eſſe demonſtrationem, ſed eſſe ſingulari utilitate diſperſam per artes & propagatam. Quid an quia propriam affectionem ſubjecti per propriam perfectamque cauſam concludit, ideò ſibi vim nomenque methodi perfectiſſimæ vendicabit? Vtinam quæ eſſet methodi natura compertum aliquando haberes: nunquam in iſtis minutiis perſequendis tam graviter laberere. Pudet profectò, hominem Cantabrigienſem res graviſſimas & ſplendore cujuſvis monarchiæ optabiliores pollicentem, toties de rebus minimis admonere. Vin' tu ſyllogiſmum eſſe methodum? at demonſtratio ſyllogiſmus eſt. Vin' tu methodi præceptis non ordinis accurationem informari, ſed vim deductæ e propoſitione & Aſſumptione concluſionis judicari? Vin' id, quod methodi lege ad ordinem redigi poteſt & debet, methodum rerum ſuis

locis

locis collocandarum usurpari? At syllogismus, in quo non dispositio rerum pro lumine notitiæ suæ ad ordinem efficiendum, sed ars quæstionis cum tertio argumento disponendæ attenditur, methodo potest, ut cætera omnia inventa ac judicata, disponi. Quapropter refer aliquando te ad meliora: implora Apollinem & Musas, ut te vagantem jamdiu & quasi incertis sedibus errantem domum deducant, ut possis qui & ubi sis agnoscere, nec non rejecta sophismatum vanitate a politioribus literis erudiri.

CAP. XII.

Ecce eadem rursus sophismatum paradoxa occurrunt, quæ antea non parum sæpe obtrudebantur. Methodus exactissima (inquis) non est nobis aptissima: quia est plena confusionis & tenebrarum: Caput 30. Quo, quid dici potuit a dignitate philosophiæ alienius? Verum esto confusionis plenissima & tenebrarum. Attamen si te 30. cap. philosophantem audire volumus, non possumus in aliquam

iſta methodo incidere aptiorem. Tuo enim judicio intellectus noſter (ſic enim ais) melius ſe habet ad tenebras quàm ad lucem. Hujus paradoxi concinnitas a te ſuperius propoſita & a nobis plenius refutata, nimium ſeſe effudit. Occupavit caput 30. Influxit in caput 31. inde ad cap. 32. eſt derivata. Hinc in cap. 33. traducta aliquando conſtitit. In capite triceſimo ſecundo, neſcio quæ præclara occurrit & quaſi lucet theoria, eáq; hercle ab Everardo diſceptata divinitus. Diſſerit analyticam methodum non eſſe diſcenti proponendam ſed aliam faciliorem. Id iſto ſyllogiſmo viciſſe ſe putat Everardus.

A fine (inquit) *ſcientia nemo incipit.*
Demonſtratio eſt finis ſcientiæ.
A Demonſtratione igitur nemo incipit.

QUID tibi vis Digbeie? cur hæres in demonſtrationis ſophiſmate? propoſita tibi eſt de methodo rerum diſponendarum controverſia. Tu a methodo ad anilem illam & metaphyſicam ſyllogiſmi demonſtra-

ſtrativi ſapientiam delaberis. Sed enim ſit Ariſtotelica demonſtratio idem quod methodus: quæ tamen non magis naturam methodi attingit, quàm tua analytica theoria viam ad monarchiam ſcientiarum demonſtrat. Sit tamen illa, ſi placet, methodus. Quid annon a demonſtratione ordiendum eſt? A fine ſciéntiæ (inquis) nemo incipit. Doceri cupio. Equidem cùm finis ſcientiæ ita comparatus ſit, ad eum ut ſint omnes ſcientiæ partes communiter referendæ, cur non eſt ex Ariſtotelica lege καθόλου πρῶτον initio totius artis proponendus? Sic grammatica, rhetorica, dialectica, mathematica per finem reliquis cauſis conjunctum principio definitæ progrediuntur. Quid Aſſumptio hujus ſyllogiſmi qualis eſt? Demonſtratio (inquis) eſt finis ſcientiæ. Cujus obſecro? an Grammaticæ, Rhetoricæ, Mathematicę, Aſtronomię, Muſicæ? opinor pernegabis. Cujus ergo? an dialecticę? Sane verò. Deus bone, ubi ſenſus tui? ubi intelligentia? In propoſitione finem cujuſlibet ſcientiæ generatim intelligis. In aſſumptione a generali finis notione

ad

ad finem dialecticæ delapsa argumentatio est. Sic aliud proponis, assumis verò concludisque aliud. Quòd si verò negem (ut jure optimo negare possum) demonstrationem esse logicæ finem disciplinæ, quid huic tam misero syllogismo fiet? Nunquid artis dialecticæ finis dicetur, ad quem non tota ars, sed artis particula refertur? at demonstrationi ex omnibus argumentis causa, ex omnibus causis propria duntaxat & necessaria primo primæ figuræ modo conclusa inseruit. Nunquid etiam dialecticę finis is erit, qui non intra potestatem artis continetur, sed ad fortuitum eventum alligatur? At ut res demonstretur, id viribus dialecticæ nō semper efficitur. Vide igitur quā non sis quod voluisti assecutus. At assequêris fortasse in iis quę deinceps disseruntur. Videamus quàm id scitè efficias. Doces capite 33. methodo nobis facilima artes esse discendas. Id & tu anteà frequenter monuisti, & ego perlibenter audio. Doces etiam a notioribus nobis hanc facilimam methodū proficisci. Id similiter amplector & orno. At doces specialia esse nobis notissima, obscu-

obſcuriſſima verò generalia. In eo mihi tecum non convenit: id non laudo: immò id totum abjudico & repello. Quibus id faciam adductus rationibus jam demonſtravi. Doces præterea id Ramo vehementer placere, ut methodus a notioribus nobis, id eſt, ut tu eruditè interpretaris, a ſpecialibus progrediatur. Sic enim (ut loqueris) in dialecticis inſtitutionibus ſcribit.

Methodus clarius procedit, obſcurius ſequitur.

ID omnino voluiſſe P. Ramum, & illius orationi nullam aliam ſententiam ſubjectam eſſe poſſe ſummopere contendis. Quid igitur faciam? quid conſilii capiam? ſi vera prædicas, ſi non illudit tua aut hallucinatur theoria: inanem operam in P. Rami methodo ab impetu analytico vindicanda navaſſe me intelligo. Sin verò id ſecus fuerit, ſi P. Ramus univerſalia eſſe & natura & nobis clariſſima aſſeveret, ſi id excellenti ratione, perſæpe ſummo ſtudio ſuadere conatus ſit, ſi denique Everardus

rardus Digbeus Rami methodum & ab universalibus perpetuò progredi & a notioribus semper institui, & tamen esse unicam fateatur, eámq; decimo sexto dialogi sui capite refellat: quæ est ista in depravandis Rameę disciplinę institutis tam inaudita vel inscitia vel audacia? Quid loquar de barbara & illiterata orationis formula, quam P. Ramo summo latinè & ornatè dicendi magistro affingis? *Methodus clarius procedit, obscurius sequitur:* quod est abs te nullo judicio ter iteratum. Potest P. Ramus quòd olim adversus Jacobum Schecium, id nunc multò justius tuis barbarismis commotus dicere:

Quem recitas meus est ô Fidentine libellus.
Sed malè dum recitas, incipit esse tuus.

VERUM mittamus ista: & sapientiæ tuæ ad propositam thesin explicandam adhibitæ artificium excutiamus. Differis eam esse P. Rami sententiam, ut a specialibus initium methodi trahendum esse putet, quia methodum a notioribus vult progredi.

gredi. Primò idipſum ſimilitudine quadam illuſtras.

Homini (inquis) *egredienti propria domus eſt notior reliquo itinere, & quo remotior eſt gradus unuſquiſque ab incipiente, tanto eſt obſcurior, ultimus autem obſcuriſſimus. Unde pro elegantia barbariſmi tui concludis, Lucidius procedere methodum, obſcurius ſequi reſpectu noſtri.*

O infantiſſimæ concluſionis judicium. Quòd ſi aptiſſimæ ſimilitudinis lucem attuliſſes, tamen ad tam audacter concludendum timidè & diffidenter accedere debuiſſes. Nunc autem cùm ſimilitudinem alienam, cùm malè cohęrentem, cùm mancam & quaſi nervis illiſam eſſe conſtet, an tantum nectendæ concluſionis audaciam ferendam arbitraris? apponatur ſimilitudinis redditio ineptiæ ut magis eluceſcant. Methodum ingreſſurus homini e domo in viam ingredienti comparatur: & viæ gradibus gradus methodi. Ut igitur homini viam ingredienti propria domus eſt notior reliquo itinere: ſic

ſic diſcipulo methodum ingredienti quid obſecro notius erit? opinor locus ille, in quo commoratur & pernoctat, omnibus methodi gradibus notior erit. Quo quid excogitari potuit ineptius? Deinde ut primus itineris gradus ſecundo notior eſt, ſecundus tertio: quanto autem quiſque ab initio remotior eſt, tanto obſcurior exiſtit: ſic in methodo primi gradus ſecundis, ſecundi tertiis notiores ſunt: & quo quiſque remotiorem ſedem ſortitur, eo in majore obſcuritate verſatur. Ecquis unquam fuit Everardo conſideratior? ecquis unquam ſapientior? Docere voluit methodum P. Rami a ſpecialibus principium ducere. At iſta ſimilitudine res pro claritate notitiæ ſuę diſponi demonſtravit: adeò ut quę notiſſima ſunt, ea primo loco; quæ obſcuriſſima poſtremo; quę intermediam naturam ſequuntur, medio ſint collocãda. Hanc diſpoſitionis formulam a notioribus inſtitutam in methodum ab univerſalibus aptiſſimè convenire diſſerui. At (inquies) ſpecialia ſunt notiſſima. Id hercle Everarde ſimilitudine tua illuſtrandũ fuit: in eo caput controverſiæ poſitum eſt.

Tu

Tu verò a proposita quæstione deflectis, probásq; non illud, specialia nempe lumine notitiæ præstare generalibus, quòd ad tuæ de P. Ramo sententię confirmationem inprimis valebat, sed illud, methodũ a notioribus inchoatam ad ignotiora ꝓgredi: in quo tibi non tua claudicante similitudine adducti, sed summa ratione persuasi vehementer assentimur: cùm tamen in illo a specialibus progressu acerrime tibi repugnemus. Quare illud es hujus similitudinis ornamento assecutus, ut te jam refragãtibus musis methodum attigisse existimemus. Quid, an in cæteris aliquid luculentius consectare? Das hercle operam: sed mira theoriæ tuę infælicitas. tali enim judicio concludis.

Si Ramus de notioribus differens intelligit generalia & notiora natura, Ramus vult methodum ab obscurissimis & confusis progredi.

At Ramus non vult methodum ab obscurissimis & confusis progredi.

Ramus itaque per notiora non intelligit universalia & notiora natura.

QUAE est ista de Rami opinione tam pertinax,

tinax, tam ridicula, tam obesa disputatio? cùm ipse opinionem suam & Lutetię frequenter in regia cathedra quasi legē elegantissima suasione ꝓmulgarit, & divulgatis libellis toti Europæ illustrem ac testatam reddiderit. Siquis a te de notioribus nobis differente sola intelligi & notatari generalia constanter affirmaret: annō ipsum testes colligere stultitię suę, annon furenter debacchari diceres? cùm vbique notiora nobis pro specialibus in dialogo tuo personent. Ramus istam tuam si viveret in re clarissima tam putidam diligentiam vel risu vel commiseratione exciperet: immo si de syllogismo tuo audire pro singulari facilitate gravaretur, propositionis consequentiam a se detestaretur: utpote qui rerum generalium clarissimam lucem naturamq; notissimam tantopere antehac in summa hominū celebritate & conventu prædicarit. Verùm progredere, & quæ reliqua sunt ea festinanter expedi ac evolve. Etenim ista me excruciat & conficit theoria.

*Si Ramo (*inquis*) ea, quæ appellat notiora, sint generalia, quod finis est, id erit initiū.*

At

At ut quod in fine explicandum est, id initio proponatur absurdum fuerit.

Non itaque quæ notiora sunt, ea Ramo generalia sunt.

Vtinam tibi prudenter disserendi laudem gratulari aliquando potuissem. Ista tua logici judicii inopia facit, ut quidlibet ad somniandam conclusiunculam arripias. Quis tibi de propositionis consequentia sententiam ascribet suã? Quis eam a Cantabrigiẽsis Academiæ pholosopho effingi potuisse judicabit? Excita quæso acumen tuum, & aliquid accuratius aliquando profer. Protulisti certè quiddam accuratissimum. Sic enim pro tuo theorico acumine disseris.

Si generalissimum sit artis initio disponendũ, non est in arte addiscenda ulterius progrediendum.

At est ulterius progrediendum.

Generalissimum igitur non est artis initio disponendum.

Facio non libenter, ut te hominem novas monarchias molientem, toties de consequentię imbecillitate admoneã. Sed ecce

hujus tam affectę & deploratę consequentiæ adminiculum.

Scientia (inquis) *comparata non est ulterius progrediendum.*

Cognito generalissimo scientia est comparata.

Cognito itaque generalissimo non est ulterius progrediendum.

PROPOSITIO syllogismi hujus si de integrę artis scientię singulis partibus cognitione comprehensis intelligatur, est certissimæ veritatis. Sin verò particulæ alicujus scientiam designat, abhorret illa quidē a vulgari sensu. Atqui verò in Assumptione mirificę delicię sunt. Nullum enim dubium est, quin cognito generalissimo, nempè artis principe definitione aut partitione, tota ars omnibus mēbris singillatim evoluta subtiliter ac plenè cognoscatur. Hanc tu rationem opinor Everarde in artibus cognoscendis secutus es. Libasti e singulis disciplinis quod erat clarissimum natura & generalissimum : quo intellecto tibi necesse non fuit res cęteras in arte traditas ingenio & industria persequi. Via mehercule ad scientiam maximè compendiaria. O te beatum cui soli ex omnibus

istam

iſtam percipiendarum artium viam natura patefecit. O nos infœlices & miſeros, quorum cogitationes in ſingulis propoſitę diſciplinæ partibus prius elaboraverũt, quàm aliquem pulcherrimæ ſcientiæ guſtum haurire potuerunt. Verumenimvero utinam muſas illas, quę artibus præſident, in conſilium cogitationum tuarum adhiberes: utinam te ab illis inſtitui ſineres ad philoſophandi ſapientiam. Non iſtę te diutius ſophiſmatum argutię torquerent: non in theoriis tuis perpetuò delirandum cenſeres.

CAP. XIII.

SED quouſq; tandem dialogi tui delicatiſſimę theorię protrahentur? quouſque corrogandis in unum quiſquiliis incumbes? De facilima methodo rem tranſactam re[illegible]etis: Quid ſit prius ad nos balbutire non deſinis: de cognitione e ſenſibus orta diſputas: ubi te de experientia & inductione ad artes conſtituendas philoſophantem amplector. En cap. 37. iterum adeſt compoſitoria methodus, ſeque ad capita conſequentia liberaliter diffudit.

Docetur ergo compositionem precedere analysin: compositione artes esse discendas: compositionis & analyseos usum esse quærentem ab initio itineris ad optatum finem perducere: definitionem & divisionē esse methodi perficiendę instrumenta: quid definitio sit & quid divisio: quis usus definitionis & divisionis.

CAP. XIIII.

INSIGNE problema agitur dialogi tui capite 44. utrum nempe definitio artis sit primò tradenda ac discenda. Disseris pro tuæ sapientia theoriæ, definitionem non esse primò discentibus proponendā. Argumenta in hanc sententiam tua breviter subjiciam, eaq; puerulis qui dialecticam vix primis adhuc labris attigerūt discutienda relinquam & refellenda.

Quod prius novimus (inquis) *id non est artis initio tradendum & discendum.*

At definitionem prius novimus quàm ad artem accederemus.

Definitio igitur non est artis initio discenda & tradenda.

DICI

DICI non poteſt quàm eleganter. deinde

Confuſum & obſcurum non eſt artis initio diſcenti tradendum.
Definitio eſt confuſa & obſcura.
Definitio igitur non eſt artis initio diſcenti tradenda.

Acumen tuæ agnoſco excellentiſſimæ dianoiæ. quid tum?

Quæ ratio diſcenti eſt invenuſta, & arti abſolutè conſtituenda noſtræq; inſtitutioni minimè convenit, ea artis initio non eſt proponenda ad diſcendum.
At Definitio eſt ratio diſcenti invenuſta & arti abſolutè conſtituenda noſtræq; inſtitutioni minimè convenit. Cap. 45.
Definitio igitur non eſt artis initio diſcenti tradenda.

QUID ad tollendam definitionem potuit cogitari divinius? Perge.

Quod principium affirmat aut negat, multùm abhorret a definitione cap. 53.
Methodi analyticæ principium affirmat aut negat.
Multum igitur abhorret a definitione.

O beatam celeberrimi philosophi theoriam. quid restat?

Quòd rei summam continet & discenti affert tædium, nõ est artis initio proponendũ.
Definitio rei summam continet & discenti affert tædium. cap. 53.
Definitio igitur nõ est artis initio proponenda.

NIHIL FINGI POTUIT

λογικώτερον.

INEST in dialogo tuo quod monarchia dignum videri potest: sed labor iste in amandanda ab artiũ principiis definitione ejusmodi est, ut siquid splendore monarchiæ præstantius esse queat, id ei sit multis nominibus meritissimò tribuendum.

CAP.

CAP. XV.

VERUM quid reliquum est? Disseritur qua methodo in simplici themate, qua in composito utendum sit.

Methodus (inquis) *simplicis thematis exponendi per quatuor quæstiones absoluitur: An est, Quid est, quia est, cujus gratia est.*

ATQUI verò mirificè methodorum architecte de rei ad tractandum propositæ natura argumentis logicę inventionis enuntiato aut syllogismo dispositis illustranda imprudens disseris. Nihil ad hujusmodi explicationem e methodo subsidii petendum est. Sed postquam disserentes institutam thesin & illustri definitione sapienter complexi sint, & eandem in mẽbra partiti subtilissimè: postquam omnem efficientis rationem evolverint, & rei materiam, formam, finem luculenter explicarint: postquam ejusdem cùm leviusculam e diversis discrepantiam, tum graviorem e disparatis ac contrariis magisque incensam pugnam politissimè descripserint: postquam splendore pa-

 rium

rium, exaggerata majorum ac minorum gravitate, lectissimis similium & dissimilium elegantiis, luminibus generum & specierum, pondere gravissimi testimonii, eandem ad enuntiati & syllogismi præcepta accommodatè confirmarint & exornarint: tum demum ad istas tot res, tam varias & discrepantes, ordine digerendas methodus adhibenda est. Immo omnia quibuscunque aut simplicis thematis natura subtilius enodatur, aut vis compositi thematis exponitur, omnia (inquam) una & eadem methodo sunt disponenda. Sed quando ista de methodo quæstio concludetur? propositum tibi fuit duplicis solummodo methodi demõstrationem instituere: at magnũ methodorum numerum confecisti. Poteras bipartitæ methodi tractationem dilucidè & strictim conclusisse: at eandem infinitis tautologiis refersisti ac confudisti. Ac ne tibi falsum crimen intulisse videar, non gravabor numerũ methodorum et illam tautologiarum infinitatem conjunctim tibi velut ob oculos proponere.

METHODORUM NUMERUS a Digbeio frequentissimis tautologiis expressus.

Methodus speculantis.	Cap. 13.
Methodus agentis	
Methodus demonstrantis	
Meth. docentis imperitos	
Meth. credentis	
Meth. dubitantis	
Meth. dialectica.	Cap. 11. 12. 13. 14.
Meth. lucis	Cap. 16.
Meth. tenebrarum	
Meth. mentis	
Meth. sensus	
Meth. nostri	
Meth. naturæ	
Meth. descendendi	
Meth. ascendendi	
Meth. progrediendi	
Meth. regrediendi	
Meth. texendi	
Meth. retexendi	
Meth. popularis	Cap. 18.
Meth. exacta	

Meth.

Meth. notior nobis
Meth. notior natura
Meth. analytica totius in partes
Meth. analytica finis in media
} Cap. 19.

Meth. lucis
Meth. tenebrarum
Meth. mentis
Meth. sensus
} Cap. 20.

Meth. inveniendi
Meth. docendi
Meth. analytica descendens ab universali ad cōclusionem demonstrando
Meth. procedens a deliberatione finis
Meth. docendi scientias
Meth. instituendi rudes
Meth. descendens ab universali ad particulare
Meth. ascendens a sensu ad intellectum
Meth. a fine ad media
Meth. inventionis proficiscens a finis deliberatione ad media.
} Cap. 21.

Meth. inventionis proficiscens a generatione mediorū ad finem.
} Cap. 22.

Meth.

Meth. descendens ab universali & propria causa ad perticularem conclusionem. / Meth. surgens ab imo ad summum per synthesin. — Cap. 23.

Meth. analytica. — Cap. 24.

Meth. resolvens quodque in gradus primæ simplicitatis. / Meth. a sensibilib. ad intellectilia / Meth. a demonstratis ad demõstrabilia. / Meth. a suppositis ad ea quæ sine suppositione sunt. / Meth. a genere ad species. / Meth. a partibus ad totum / Meth. a fine ad media. / Meth. a causis ad effecta. / Meth. revocãdi superioris ad inferius / Meth. revocandi inferioris ad superius. / Meth. resolvens totum in partes. / Meth. resolvens finem in media. — Cap. 25.

Meth. ascendens a particulari ad universale. / Meth. descendens a superiore ad inferius. — Cap. 26.

Meth.

Meth.

Meth.

Meth. interpretandi singulos gradus scientiæ. | *Meth. thematis compositi.* | *Meth. thematis simplicis.* } *Cap. 47.*

Meth. discendi unum gradum. | *Meth. discendi totam scientiam.* | *Meth. particulares gradus explicandi.* | *Meth. simplicis thematis.* | *Meth. compositi thematis.* } *Cap. 48.*

Meth. compositoria tractandi cõpositi thematis. | *Meth. resolutoria tractandi compositi thematis.* } *Cap. 49.*

Meth. analytica. | *Meth. synthetica.* } *Cap. 50.*

Methodus mixta. | *Meth. perfectionis ad nos.* | *Meth. nostri ad perfectionem.* } *Cap. 51.*

Methodus mixta. *Cap. 52.*

VICISTI Everarde, vicisti. Methodi certè unitas convulsa planè & expugnata cõcidit. Ubi ergo jam laurea? ubi pæan? ubi io triumphe? Equidem ad tuam cohonestandam illustrandamq; victoriam constituendus

tuendus Senatus a quo ornêre: decernendus currus in quo laureatus per urbem vehare: excitandum capitolium, in quod ovans & ſummo applauſu, aſcendas. Sed Deus bone cur hæc tam præclara cogito? cur capitolium, currum, ſenatum commemoro? an ad Everardi gloriam conficienda iſta & adornanda? Quidni? etenim in ſuſceptam de methodo diſputationem agreſtes tautologiarum acervos, fæculentum methodorum gregem, anile & inveteratum ſophiſma, crudas & langueſcentes rationes, mancas & enarvatas concluſiunculas detruſit, compulit, corrogavit.

CAP. XVI.

De Digbeiana methodorum praxi.

DIALOGI tui bipartita ratio eſt. Nam aut de methodo præcipit, aut de praxi methodi conſtitutæ loquitur. Præceptionis mirificam elegantiam & omni expoſitione diſtinctam vidimus. Sequitur jam methodi praxis: de qua neceſſe nō eſt, multis ut diſſeram: præſertim cùm meā de methodorum tuarum præceptis ſentētiam ſatis lōga oratione expoſuerim. Veruntamen illud non illibenter dixerim, te

in praxi iſta delineanda & a methodi inſtituta ſuperius prçceptione deſciviſſe, & multa aliena inferſiſſe. Quid? compoſitoria illa methodus, qua in deſcriptione grãmaticæ, dialecticæ, arithmeticæ, geometriç uſus es, annón tuis de methodo cópoſitoria inſtitutis repugnat? ais in primo dialogi tui libro permultis capitibus ſyntheſin iſtam a nobis notiorib' & ſpecialib' ad generalia & natura notiora proficiſci. At tua harũ artium cópoſitio ejuſmodi eſt, ut earum unaquæq; a generalibus ordiatur. In grammatica vis literam ſyllabæ, ſyllabã voci, vocem orationi prçponi. Sic in compoſitione dialecticæ placet tibi ut argumẽtorum ratio primò explicetur: deinde enuntiati doctrina ſubſequatur: poſtremò ſyllogiſmi natura enodetur. Sic in Arithmetica ab additione, ſubtractione, multiplicatione, diviſione ad reliqua ꝓgredèris. Sic in Geometria vis ut linea ſuperficiem, ſuperficies corpus antecedat. Hæc illa eſt (Digbeie) Ramea accuratiſſimi compendii, intelligẽtię, memorię via: in quã tu aliud meditans incidiſti. Expẽde iſta paulo quàm ſoles diligẽtius. Deprehendes in grãmaticis naturã literę ad plura diffuſam

esse quàm syllabę: & syllabā voce, vocem oratione generaliorem existere. Quin & in logicis argumentū enūtiato, enuntiatū syllogismo latiùs patet naturaq; prius est: adeò ut in hac utraq; arte explicatio consequentiū e disciplina antecędentiū oriatur. Idē de Arithmetica & Geometria intelligi volo. Nónne te igitur methodorū pręclarū artificem habemus, qui aliud precepto cōprehendas, aliud usu praxiq; exprimas? Differis præterea analyticā methodum ab universaliū tractatione exorsam, singularium circūscriptione terminari. At cū analyticæ methodi typū tuo artificio effictum exhibere vis, universalia prępositis singularibus ad infimā sedē deturbanda censes. Hęccine facere hominē Anglū & Cantabrigiēsē & volumina magnificis inscripta titulis divulgantem convenit? Nę tu quid in methodo universale, quid speciale dici debeat, planè ignoras. Ad istā de methodo disputationē sic accessisti, ut cæcus ad ferendā sententiā de coloribus. Annon quid in jureconsulto civilium causarum actore Crassus primo oratorio insectetur, meministi? Ait eū gravissimè offendere & existi-

mationi suæ labem inferre, qui cùm quid suum, quid alienũ, quid civis aut peregrinus, quid liber aut servus sit, ignoret; tamẽ volitare audeat in foro, hærere in jure ac pretorum tribunalibus, judicia magnarum rerum obire, jactare se in causis centumviralibus, deniq; de rerum gravissimarum jure perorare. Quid? quantum abesse dicemus ab isto Jureconsulto Everardum? In grammaticis pueriliter hæsitat: utpote qui solæcismos frequenter intexat. In rhetoricis eam gratiam & venustatem consectatur, ut ornamenta ad risum commovendũ attulisse, non ad poliendam orationẽ quęsisse videatur. Quòd si quis tertiã epistolæ methodorum tuarum elegantiis præfixæ bene longam periodum excutiat, perspiciet te eloquentiæ tuę confidentia depastum e tenera pectoris tui tellure non modò rerum magnarum seminaria profudisse, sed etiam ad decorandam methodi disciplinam Maii flores virides & redolentes Aprilis scatebris irrigatos præ amore edidisse.

IMMO verò cùm & illius periodi singularem

larem eloquentiam ſolœciſmi ornamento inſtructam & in cæteris trium epiſtolarũ partibus exquiſitiſſimas rhetoricę elocutionis delicias notaverit, tibi aliquo Alabandenſi Apollonio opus eſſe intelliget, qui te ad aliam artem dimittat, & de abjiciendo ſtudio orationis faciundæ & poliundæ prudenter admoneat. Quid? in dialecticis quantus es? profectò tantus, ut nõ prędicamentorum gurguſtio concludendus, ſed in tranſcendentium numero reponendus judicêre. Calles enim ſpinoſulas prædicabilium argutias: non ignoras quàm ſint delicatulæ in prædicamentis lautitiæ: mirificam illam de quatuor topicis prędicatis cantilenam canere didiciſti: modalium & converſionũ contortula ſophiſmata commentando decoxiſti: induſtriam tuam ad ſyllogiſmi demonſtrativi honorificam theoriam exercuiſti: methodorum omnem ſapientiam guſtaviſti. Nónne ergo toto apparatu inſtructus es logici artificii? Ego certè (non loquar ut artificio inanis aſſentatiunculæ auribus tuis dem aliquid) te ad ſcholam Dorbellę & Scoti aliquam ingenii vim indolemq;

attulisse statuo, ab eadem verò exiguam illius partem eamq́; nimis vacillantem & affectam retulisse. Attamē, cùm sis in grāmatica ἀγράμματος, in rhetorica ἀῤῥήτωρ, in logicis ἄλογος, non solitudinem & umbram quęris, sed audes in oculis civium & clarissima luce versari, insidere in subselliis præstantissimorum hominū, venditare te in gravissimis disciplinarum mysteriis, de expeditissima ad scientias via gloriari, polliceri deniq; monarchiam. Ista tanta confidentia fecit, ut quę de methodo præcepta tradidisses, ab eisdem in praxi vehementer aberrares. Fecit etiam ut rhetoricā & dialecticam nō modò suis coloribus illustrares, sed etiam deformares alienis. Quid enim arti rhetoricæ cum inventione, dispositione, memoria? quid cum pręceptis exordii, narrationis, confirmationis, epilogi? Nō potest (fortasse inquies) formari ad dicendum oratio, non causa in foro perorari, nisi acumen inveniendi, disponendi prudentia, memoriæ subsidium accesserit. Quid tum? ideóne artium leges permiscēdę & cōfundendæ? reclamat Aristotelica lex καθ᾽ αὑτό. Nō patitur quod uni arti ꝓprium

um cognatumq́; eſt, id alterius diſciplinę membrũ eſſe. Iſtam tantam cõfuſionem, tantam ἑτερογένειαν ferre non poteſt. Si pictor in delineanda hominis imagine & articulis diſtinguenda, non germana membra depingeret, ſed a brutis animalibus ad expolitionem picturæ aliena accerſeret, utrum pro imagine hominis labes picturæ tanta ac tam gravis probaretur? nullo certè modo. An itaque in artem eloquentiæ tantos rerum peregrinarum elenchos tranſferri oportebit? Non appetit rhetorica alterius artis patrimonium: non vult in alienum irruere: ſuis & conceſſis & traditis contenta eſt. Da illi exornationem per tropos & figuras & numeri eleganter demenſi ſuavitatem: Da orationis ſic exornatæ pronuntiationem: nihil a te requiret amplius. Quinetiam dialectica remittet tibi prædicabilia & prædicamenta: non vult ſeſe ad altercationem topicæ quæſtiunculæ totam alligari: non patietur modalium, oppoſitionum, converſionum ſophiſmatis ſeſe diutius onerari: diſtributionem aut locorum in perſonas & res, aut argumen-

tationis in ſyllogiſmum, enthymema, inductionem, exemplum vehementer improbat: æquivoca & univoca & ejuſmodi fæces planè averſatur. Ait ſeſe P. Rami ſingulari ingenio a tanta ſophiſmatum colluvie repurgatam, & priſtino nitori, avitæ etiam dignitati reſtitutam, non paſſuram deinceps, aliqua ut ſibi labes e talium ſophiſmatum ſordibus contrahatur: neq; ut ab ulla commētatione, ab ulla actione ſive publica ſive privata, ab ullo congreſſu, ab ulla celebritate curiæ aut roſtrorū, ab ulla acie & campo avocata, & ſcholarū finibus circumſcriptam deliteſcat. Veruntamen ſi P. Ramum in refellendis prædicabilibus, in diſſipandis prædicamentis, in modaliū, oppoſitionum, converſionum argutiis cōvellendis, in cæteris quibuſcunq; e logico agro extirpandis, in tribus illis promulgādis legibus κατὰ παντὸς, καθ' αὐτὸ, καθόλου πρῶτον, erraſſe & hallucinatum eſſe docueris, tibi libenter cedet, & P. Ramum inſaniæ condemnabit. *Habes jam* (Digbeie) meā de unica P. Rami methodo retinenda admonitionem, nō perfectam illam quidem ingenio, quis enim ego ſum? non elaboratā indu-

induſtria, quam hercle præciderunt occupationes meæ: ſed eam tamẽ (ut ſpero) quę ad naſcẽtem methodorum multitudinem coercendam ſatis in ſe virium & nervorũ habere videatur. Vtinam verò tantum apud te valere potuiſſet, quantum ad incitandam in te curam exiſtimationis tuæ, & commovendam vim majoris diligentiæ ſatis eſſe poſſit. Equidem dum analyticam theoriam, & dialogum tuum intueor, videris mihi animi in laude colligenda & in contemnendis de tuo ingenio hominũ judiciis nimium profectò diſſoluti. Hiſtrio non antè in ſcenam prodit, quàm frequẽti uſu ſuavitatem vocis & in reliquo motu ſummam elegantiam acciverit. Nec athleta priùs in arenam deſcendit, ut ſe populo det, quàm ſeſe ad rationem & plagæ perſcienter inferendæ, & eleganter vitandæ, diligentiſſimè exercuerit. At quid ita? ille ſibilum, hic adverſam acclamationẽ metuit: uterq; inſpectãtis populi judicio permovetur. An igitur erit vel actor in theatro conſideratior, vel athleta in palęſtra ſapientior, quàm philoſophus in ſchola & vita communi? Equidem per mihi turpe

videtur, qui tuendæ existimationis & tradendæ sapientię disciplinam profitetur, eum minus sapienter agentem ab infamia non multum abesse. Meditaris volumina Everarde. Probo hercle. Quid enim aliud agere convenit hominem ingenio & otio abundantem? meditaris eadem in Cantabrigiensi Academia longè (ut audio) florentissima. Quid tum? gratulor equidem Cantabrigiæ. Emittis etiam in publicum. Ne id sanè reprehendo. Quid enim, cùm patriæ natus sis, melius agere potes, quàm ut patriæ utiliter consulas? Inscribis etiam separatim magnatibus. Placet & illud. Nam quorum magnificentia literę & satæ primò sunt & postea floruerunt, eisdem literarum velut primitiæ sunt meritò consecrandæ. Sed quæ meditaris domi volumina, quæ emittis in publicum, quę magnatibus inscribis, ea barbariem redolent, sapiunt vietam & diffluentem theoriam, jejuna & horridiuscula sophismata complectuntur. Hîc in te illam prudentiam, illã diligentiam desidero, quam in oratore inesse vult Ciceronis L. Crassus. Vult ille

ora-

oratorē timidè ad dicendū accedere: vult solicitū de hominū judiciis, & plurimorū expectatione commotum exalbeſcere in principiis: & etiamſi optimè dicit idque faciliimè atq; ornatiſſimè facere poteſt, tamen ne aliquid neq; dignū re, neq; dignū nomine oratoris, neq; dignū hominū auribus efficiat, magnopere perturbari. Vbi Everarde cùm tui divulgādi libelli eſſent timor iſte? ubi anxietas? ubi ſtudium ſatis ornatiſſimorū hominū judiciis faciendi? Ecquid tibi in mentē non venit de illius, in cujus nomine apparuerūt vigiliæ tuæ, ampliſſima dignitate cogitare? Magnū nomen Chriſtopheri Hattoni & illuſtre jamdiu fuit, nec vobis Anglis duntaxat notū, ſed etiā apud exteras regiones celeberrimū. Quę illi virtus? quis ſplendor? quod ornamentū deeſt? vides graviſſimā ab eo perſonā ſuſtineri: vides in adminiſtratione reipublicæ veſtrę aſſiduè verſari. An igitur audebas tantū hominē, tā excellētē Senatorē, tam vehementer diſtrictum negotiis præclariſſimæ reipublicæ, frigidiuſculis theoriis & inaniſſimis lucubratiunculis compellare? poterant certè de-

deterruiſſe te ab inſtituto iſto eruditiſſimo rum hominum in tranſmarinis nationibus judicia. Sed mitto J.Sturmiũ, cujus omnia certè ſunt ſcripta dulciſſimè: mitto Zuingerum, Volfium, Simlerum, Gualterum, Bezam, Simonium, Portũ, Schecium, Bodinum, viros certè acumine & eruditione propè ſingulari. Prætereo J.Thomã Freigium, Schorum, Scribonium, Rhodingum, Mikilmanæum, Salignacũ, Beurhuſiũ, Fo-quelinũ, Oſſatum, Minoem, Bergeroniũ, Martinium, quibus hominis nihil ferè excogitari poteſt limatius, nihil elegantius. Quinetiam taceo de Oxonienſi Academia, quæ clariſſimarum artium gloria antecellit. Quid? ut ad Cantabrigienſes tuos veniam: annon Cantabrigienſis Academiæ, in qua quot ſunt gymnaſia, totidem ineſſe videntur conſeſſus principum, acerrimum & literatiſſimum judicium vereb are? Eſt (ut ferunt) Cantabrigię Comes Eſſexius, adoleſcentulus ille quidem, ſed ita eruditus a literis, & ita compoſitus ad ſplendorem & dignitatem, ut ſiquid in adoleſcentulo ad commovendam admirationem quæras, id omne in Comite Eſſex-

io

io eminêre dixeris. Nihil te ille movere potuit? Nihil illa lumina & ornamenta vestræ Academiæ Bartholomæus Clercus, Levinus, Bingus, Dodingtonus? a quibus siqua scribuntur, ea ita perscribuntur divinitus, ut illis loquentibus Ciceronem non desideres. Nihil te complures alii in Cantabrigiensi Academia moverunt? quos esse audio excellentis ingenii, exquisitæ doctrinæ, excultissimę sapientiæ. Debuerunt isti tot ac tam præstantes viri tibi in mentem venisse Everarde. Debuit de illorum judiciis suscepta cogitatio tibi præcipitem illam publicandi libelli cupiditatem excussisse. Ego certè pro eo quo Anglos complector amore singulari, & quia gloriæ Cantabrigiensis Academię vehementer faveo, tibi integritatem nominis & famæ, laudem prudentię & consilii, P. Rami in quolibet artis genere divinitatem exopto.

FINIS.